This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Select Mediæval Documents

MATHEWS

A 825,607


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

JJ
126.5
.M43
1900

SELECT

MEDIÆVAL DOCUMENTS

99683

AND OTHER MATERIAL

ILLUSTRATING THE

HISTORY OF CHURCH AND EMPIRE

754 A.D. — 1254 A.D.

BY

SHAILER MATHEWS, A.M.
PROFESSOR IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

SECOND EDITION REVISED AND WITH GLOSSARY

SILVER, BURDETT AND COMPANY
NEW YORK BOSTON CHICAGO
1900

COPYRIGHT, 1892, 1900,
BY SILVER, BURDETT & COMPANY.

LIST OF WORKS FROM WHICH THE SELECTIONS IN THIS BOOK HAVE CHIEFLY BEEN MADE.

Doeberl, *Monumenta Germaniae Selecta* [M. G. S.]
Duchesne, *Liber Pontificalis.*
Huillard-Bréholles, *Historia Diplomatica Frederici II.* [H.-B.].
Jaffé, *Bibliotheca Rerum Germanicarum* [Bib. Rer. Ger.].
Regesta Pontificum Romanorum [Reges. Pontif.].
Migne, *Patrologie Latine* [Patro. Lat.].
Pertz, *Monumenta Germaniæ Historica* [M. G. H.], *Scriptores* [SS.], *Leges* [LL.], *Diplomata* [Dip.].

PREFACE TO THE FIRST EDITION.

THE dramatic history of Church and State during the Middle Ages groups itself about three issues, each the result of conditions that arose in earlier times. The two Henrys were concerned chiefly with investiture; Frederick I., with the general question of imperial prerogative; while Frederick II., in so far as his was not a question of irascible opponents and the fulfilment of hasty promises, was swept into the conflict over the rights and obligations of a vassal. It is true, of course, that the politico-ecclesiastical is not the only history of these years; these issues were complicated by the purely political struggles of the times, — those of the Popes with the Romans, of the Emperors with rebellious nobles and the Italian cities. But the Popes and Emperors played the great rôles in the Continental drama, and it is possible, and, indeed, customary, to centre attention upon them.

This collection aims simply at giving such documents as shall illustrate these struggles. It can claim no completeness, but it is hoped that the selections will be found to be fairly representative of the times from Pippin till the Interregnum. In several cases excerpts have been made from the annals of the time, either because a document has been hopelessly lost, or the matter seemed hardly to justify other treatment. In one or

two instances, also, matter has been added that especially illustrates the literary method of the period, while, on the other hand, it has not seemed necessary to give all the donations and oaths of the Emperors, or all repetitions of excommunication in the case of Frederick II.

While otherwise only those Peaces and treaties have been selected that closed an important struggle or marked a decided advance in the relations between the Popes and Emperors, the Peace of Constance has been added in an appendix because of its great importance in the history of the Italian cities. In general, however, only such selections have been admitted as illustrate the causes and growth of the three main issues.

In addition to the works mentioned in the text and in the list below, Richter's *Annalen der deutschen Geschichte im Mittelalter*, and the various *Jahrbücher* of the Historical Commission, have been of special service.

If the study of these selections should awaken the desire for a better acquaintance with the Annalists of the Middle Ages, the school edition of the *Monumenta*, the *Scriptores Rerum Germanicarum*, is recommended as both critical and inexpensive. Students will find great help in a work like Dahlmann's *Urkundenbuch*, edited by Waitz.

It will be seen that most of the selections are from the *Monumenta Germaniae Historica*, Jaffé's *Bibliotheca Rerum Germanicarum*, Huillard-Bréholles' *Historia Diplomatica Frederici II.* The text at least, therefore, is worthy of confidence.

The compiler is greatly indebted to Mr. Norman L. Bassett for help in reading proof.

COLBY UNIVERSITY, Jan. 9, 1892.

PREFACE TO THE SECOND EDITION.

SINCE the appearance of the first edition of this little book, the teaching of history in American colleges and universities has made marked advance along the lines of original research. For the discipline which lies in such work, there is probably no period which can be studied to better advantage than the Middle Ages. The text criticism of the sources is practically complete, the range of sources is distinct, the period itself is interesting and is vital for any knowledge of the development of European history. It is true that undergraduate work can seldom be carried so far as to warrant a teacher's making any extended excursion into the fundamental problems of higher criticism. The questions of the authorship and the time of writing of a source are somewhat too complicated for class instruction. There is, however, one element of criticism which is capable of giving the poise and caution so indispensable to the historian, and that is the elimination from a source of its personal equation. But of even more importance is it that the historical student should get into the life and spirit of an age through its own literature. Here the use of the original language is of first importance. It is true that a translation is perhaps as valuable in some ways as the original; but for students who have studied Latin for four or more years, the

use of the original sources in mediæval history should present on the one hand no difficulty, and on the other certain decided advantages. The very crudity of the Latin style, as well as the occasional evident imitation of classical writers which appears in the sources, are in themselves data of great value for appreciating the civilization of the period. There is, too, the advantage of understanding the Latin terminology of the time as well as the ecclesiastical spirit that breathes through the language. In addition, of course, there is that spirit and life which always belong to the original rather than to the translation.

In using this collection of mediæval documents, it is evident that a text-book, like Thatcher and Schwill's *Europe in the Middle Age*, Tout's *The Empire and the Papacy*, Emerton's *Mediæval Europe*, will be indispensable unless the teacher himself lectures fully upon the subject. Although this volume is not intended to be the sole basis upon which to build the history of the times, it is to be used, not merely as illustration, but as the material out of which to make special study on important matters. The student should be disciplined in studying these documents in the same way as he is taught to "observe" in natural science. Perhaps as good a plan as any is to assign weekly research papers, in which each member of the class shall state somewhat formally the facts and implications he discovers in one or more documents. Let these papers be read and criticised in class. In case the report is not to be made in writing, the teacher will get good results by a careful analysis of the contents of the documents, or by a translation which is made the basis of a running comment upon the significance of the facts discovered. In any case he should be careful to show

how the material gained by this analytic study can be bound into a well-ordered account. The student, after he has made his report upon the facts contained in the material, may very well be asked to construct a chapter dealing with the matter as a whole. By such a method the evils attendant upon mere recitation or lecture work will be largely avoided, and a new sense of reality will be given to the entire period.

In the study of treaties it will be advisable to get accurately the actual conditions existing before the contest began which resulted in the treaty, and then to compare them with the terms fixed by the document itself. Perhaps this comparison is the most valuable use to which a treaty can be put, but in addition there should be noticed not only the method of guaranteeing its various stipulations, but also the transfer of political rights, and above all, the emergence of the power of the municipalities. It may often be advisable to compare various treaties in which the contracting powers represent approximately the same political elements. Above all, will the study of the treaty of Constance open up the heart of the great periods which it closed and opened.

It is a pleasure to acknowledge my indebtedness to Professor O. J. Thatcher for suggestions and corrections, and to Professor Willard K. Clement, for his revision of the text and for the glossaries which, it is hoped, will give new value to the volume.

SHAILER MATHEWS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO, May 20, 1900.

TABLE OF CONTENTS.

I. The Carolingian Period. PAGE

The Donation of Pippin (756) 9
The Donation of Charlemagne (774) 10
The Coronation of Charlemagne (800) 12
The Recognition of Charlemagne by the Byzantine Emperor (812, 813) 13
Charlemagne appoints Louis his Successor (813) 14
Constitutio Romana (824) 14
The Treaty of Verdun (843) 17
Canon of Stephen IV. as to the Election of Pope (898) 18

II. Period of the Saxon Emperors.

The Election of Henry the Fowler (919) 19
Henry I. grants Arnolf the Right to appoint Bishops (921) 20
Otho I. in Rome (962–63) 22
Donation of Otho I. (962) 23
Election of John XIII. (965) 29
Four Decrees of the Synod of Seligenstadt (1024) 29

III. The Period of the Franconian Emperors and Lothar III.

Henry III. in Italy (1046) 31
Decree of Nicholas II. as to Election of Popes (1059) 31
Letter of Henry IV. to Gregory VII. (1073) 35
Dictatus Hildebrandini (1074) 37
The Synod at Worms (1076).
a) The Letter of the Bishops to Gregory VII. 38
b) Accompanying Letter from Henry IV. 42
First Excommunication and Deposition of Henry IV. (1076) 44
Conventus Oppenheimensis (1076).
a) The Promise of Henry IV. 45
b) General Edict 46

Canossa (1077). PAGE
a) Letter of Gregory VII. to German Nobles..... 46
b) Oath of Henry IV..... 49
Decrees of Gregory VII. forbidding the Clergy to receive Investiture from Laymen.
a) Decree of Nov. 19, 1078..... 49
b) Decree of March 7, 1080..... 50
Second Excommunication and Deposition of Henry IV. (1080)..... 51
The Synod at Brixen deposes Gregory VII. (1080)..... 55
Gregory VII. invests Robert Guiscard with Sicily (1080).
a) The Oath taken by Robert..... 57
b) The Investiture..... 59
c) The Yearly Tribute..... 59
Gregory VII. summons Robert Guiscard (1082?)..... 60
Henry V. and Paschal II. (1111).
a) The Privilege of Feb. 12..... 61
b) The Privilege of April 12..... 63
The Lateran Council annuls Privilege of April 12, 1111 (1112)..... 64
The Concordat of Worms (1122).
a) The Concessions of Calixtus II..... 66
b) The Concessions of Henry V..... 67
Lothar III. places Analek II. under the Ban (1133)..... 68
Investiture Privilege granted by Innocent II. to Lothar III. (1133)..... 69
Privilege granted Lothar III. by Innocent II. in regard to the Estates of Matilda (1133)..... 71

IV. The Hohenstaufen Period.
Frederick I. announces his Election to Eugene III..... 74
The Treaty of Constance..... 77
The Affair of Besançon (1157).
a) Letter of Hadrian IV..... 79
b) Proclamation of Frederick I..... 82
c) Letter of Hadrian IV. explaining his Use of Terms... 84
The Roncalian Legislation.
a) Concerning Regalia..... 86
b) Law of Fiefs..... 87
The Decision of the Council of Pavia (1160)..... 89

PAGE

The Council of Dole (1162) 95
The Wurzburg Proclamation of Frederick I. (1165) 96
The Peace of Venice (1177) 99
Testament of Henry VI. (1197) 105
Innocent III. on the Election of Emperors 106
Frederick II. swears Fealty for Sicily (1211) 113
The Golden Bull of Eger (1213) 115
Oath sworn by Frederick II. to Innocent III. (1213) 118
Summons of Frederick II. to his Crusade (1221) 120
The First Excommunication of Frederick II. (1227) 122
Letter of Frederick II. to King of England (1227) 130
The Peace of San Germano (1230) 132
Last Excommunication of Frederick II. (1239) 141
Deposition of Frederick II. by Council of Lyons (1245) ... 145

APPENDIX I.
The Peace of Constance (1183) 156

APPENDIX II.
Glossaries 165

INDEX 175

SELECT MEDIÆVAL DOCUMENTS.

I. THE CAROLINGIAN PERIOD.

THE DONATION OF PIPPIN (756).

[Duchesne; Liber Pontificalis, Vita Stephani II.]

Dum vero antefatus benignissimus Pippinus Francorum rex Papiam obsidens constringeret civitatem, tunc Aistulfus atrocissimus rex Langobardorum ut veniam illi tribueret et quas prius contempserat conscriptas in pacti foedere reddere civitates se modis omnibus professus est redditurum. Et denuo confirmato anteriore pacto, qui per elapsam VIII indictionem inter partes provenerat, restituit ipsas praelatas civitates, addens et castrum qui cognominatur Comiaclum. De quibus omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis beato Petro atque sancte Romane ecclesiae vel omnibus in perpetuum pontificibus apostolice sedis emisit possidendas; que et usque actenus in archivo sancte nostrae ecclesiae recondita tenetur.

Ad recipiendas vero ipsas civitates misit ipse christianissimus Francorum rex suum consiliarium, id est Fulradum, venerabilem abbatem et presbiterum, absolvit, et continuo eius eximietas feliciter cum suis exercitibus

Franciam reppedavit. Praenominatus autem Fulradus, venerabilis abbas et presbiter, Ravennantium partes cum missis iamfati Aistulfi regis coniungens et per singulas ingrediens civitates, tam Pentapoleos et Emiliae, easque recipiens et obsides per unamquamque auferens atque primatos secum una cum claves portarum civitatum deferens, Romam coniunxit. Et ipsas claves tam Ravennantium urbis quamque diversarum civitatum ipsius Ravennantium exarchatus una cum suprascripta donatione de eis a suo rege emissa in confessione beati Petri ponens, eidem Dei apostolo et eius vicario sanctissimo papae adque omnibus eius successoribus pontificibus perenniter possidendas adque disponendas tradidit, id est, Ravenna, Arimino Pensauro Conca, Fano Cesinas Sinogalias Esis Forumpopuli Forumolivi cum castro Sussubio, Montefeletri, Acerreagio, Montelucati, Serra, castellum sancti Marini Vobio, Orbino, Callis, Luciolis, Egubio seu Comiaclo; necnon et civitatem Narniensem, quae a ducato Spolitino parti Romanorum per evoluta annorum spatia fuerat invasa.

THE DONATION OF CHARLEMAGNE (774).

[Duchesne; Liber Pontificalis, Vita Hadriani.]

At vero quarta feria, egressus praenominatus pontifex cum suis iudicibus tam cleri quamque militiae in ecclesia beati Petri apostoli, pariterque cum eodem rege se loquendum coniungens, constanter eum deprecatus est atque ammonuit et paterno affectu adhortare studuit ut promissionem illam, quam eius sanctae memoriae

genitor Pippinus quondam rex et ipse praecellentissimus Carulus cum suo germano Carulomanno atque omnibus iudicibus Francorum fecerant beato Petro et eius vicario sanctae memoriae domno Stephano iuniori papae, quando Franciam perrexit, pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiae provinciae et contradendis beato Petro eiusque omnibus vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipsam promissionem, quae Francia in loco qui vocatur Carisiaco facta est, sibi relegi fecisset, conplacuerunt illi et eius iudicibus omnia quae ibidem erant adnexa. Et propria voluntate, bono ac libenti animo, aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praecellentissimus et revera christianissimus Carulus Francorum rex adscribi iussit per Etherium, religiosum ac prudentissimum capillanum et notarium suum; ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro easque praefato pontifici contradi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donatione continere monstratur, id est; a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio; et exinde in Mantua atque Monte Silicis, simulque et universum exarchatum Ravennantium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istria; necnon et cunctum ductatum Spolitinum seu Beneventanum. Factaque eadem donatione et propria sua manu eam ipse christianissimus Francorum rex eam conrobans, universos episcopos, abbates, duces etiam et grafiones in ea adscribi fecit; quam prius super altare beati Petri et postmodum intus in sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum rex quamque eius iudices, beato Petro et eius vicario sanctissimo

Adriano papae sub terribile sacramento sese omnia conservaturos qui in eadem donatione continentur promittentes tradiderunt. Apparem vero ipsius donationis eundem Etherium adscribi faciens ipse christianissimus Francorum rex, intus super corpus beati Petri, subtus evangelia quae ibidem osculantur, pro firmissima cautela et aeterna nominis sui ac regni Francorum memoria propriis suis manibus posuit. Aliaque ejusdem donationis exempla per scrinium huius sanctae nostrae Romanae ecclesiae adscriptam eius excellentia secum deportavit.

THE CORONATION OF CHARLEMAGNE (800).

[Muratori; His. Rer. Ital. Vit. Hadriani IV.]

Post haec adveniente die natali Domini nostri Jesu Christi, in jam dicta Basilica Beati Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt et tunc venerabilis almificus Pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem, et dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, et ejus Vicarium habuit, unamiter altisona voce Dei nutu atque Beati Petri Clavigeri regni Coelorum exclamaverunt: Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico Imperatori, vita et victoria. Ante sacram confessionem Beati Petri Apostoli plures Sanctos invocantes, tres dictum est, et ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum. Illico Sanctissimus Antistes et Pontifex unxit Oleo Sancto Carolum et Excellentissimum filium ejus Regem in ipso die natalis Domini nostri Jesu Christi, et missa peracta post celebrationem

missarum obtulit ipse serenissimus Domnus Imperator mensam argenteam, cum pedibus suis, pensan. libr . . .

THE RECOGNITION OF CHARLEMAGNE BY THE BYZANTINE EMPEROR.

a) [Annales Laurissenses et Einhardi (812): M. G. H., SS. I. 199.]

Niciforus imperator post multas et insignes victorias in Moesia provincia, commisso cum Bulgaris proelio, moritur, et Michahel gener ejus imperator factus, legatos imperatoris Karli, qui Niciforum missi fuerunt, in Constantinopoli suscepit et absolvit cum quibus et suos legatos direxit, Michhalem scilicet episcopum, et Arsafium atque Theognostum protospatharios, et per eos pacem a Niciforo inceptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in ecclesia suscipientes, more suo, id est Graeca Lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum Basileum appellantes, et revertendo Romam venientes, in basilica sancti Petri apostoli eundem pacti seu foederis libellum a Leone papa denuo susceperunt.

b) [Jaffé; Bib. Rer. Ger., IV. 415. The selection is from a letter of Charlemagne (813).]

Benedicimus dominum Iesum Christum verum deum nostrum et gratias illi juxta virium possibilitatem et intellegentiae nostrae quantitatem ex toto corde referimus, qui nos ineffabili dono benignitatis suae in tantum divites efficere dignatus est, ut in diebus nostris diu quaesitam et semper desideratam pacem inter orientale

atque occidentale imperium stabilire et ecclesiam suai catholicam sanctam et immaculatam, quae toto orb diffusa est, juxta cotidianas ipsius postulationes sicu semper regere ac protegere, ita etiam nunc idem i nostro tempore adunare atque pacificare dignatus est.

CHARLEMAGNE APPOINTS LOUIS HIS SUCCESSOR (813)

[Chronicon Moissiacense; M. G. H., SS. I. 259.]
(*Cf.* the fuller and, probably, less trustworthy account in Thegan's Life Louis, M. G. H., SS. II. 591.)

Cum consensu et acclamatione omnium populorui Ludovicum filium constituit imperatorem secum ac pe coronam auream tradidit ei imperium populis acclamai tibus et dicentibus: Vivat imperator Ludovicus. E facta est laetitia magna in populo in illa die.

CONSTITUTIO ROMANA (824).

[M. G. H., LL. I. 239, 240.]

Capitula quae domnus Hlotharius imperator ad limin beati Petri apostoli tempore Eugenii summi pontifici instituit.

1. Constitutum habemus, ut omnes qui sub specia defensione domni apostolici seu nostra fuerint suscept impetrata inviolabiliter justa utantur defensione. Quo si quis in quocumque hoc contemptum violare prae sumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursun Nam et hoc decernimus, ut domno apostolico in omnibu

ipsi justam observent oboedientiam, seu ducibus ac judicibus suis, ad justitiam faciendam. In hoc capitulo fiat commemoratum de viduis et orfanis Theodori, Floronis et Sergii.

2. Ut depraedationes quae hactenus fieri solebant, prohibemus ne fiant, neque vivente pontifice neque defuncto. Si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia esse condemnandum. Quae autem retro actae sunt, placet nobis, ut per dispositionem nostram fiant legaliter emendatae.

3. Volumus ut in electione pontificis nullus praesumat venire, neque liber neque servus, qui aliquod impedimentum faciat, illis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuedo concessa per constitutionem sanctorum patrum eligendi pontificem. Quod si quis contra hanc jussionem nostram facere praesumpserit, exilo tradatur.

4. Volumus ut missi constituantur de parte domni apostolici et nostra, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter singuli duces et judices justitiam populo faciant, et quomodo nostram constitutionem observent. Qui missi, decernimus, ut primum cunctos clamores qui per neglegentiam ducum aut judicum fuerint inventi, ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat, ut aut statim per eosdem missos fiant ipsae necessitates emendatae, aut si non, per nostrum missum fiat nobis notum, ut per nostros missos a nobis directos iterum emendentur.

5. Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult vivere, ut tali qua se professi fuerint vivere velle, vivant. Illisque denuntietur, quod hoc unusquisque sciat, tam duces quam et judices vel reliquus

populus, quod si in offensione sua contra eandem legem fecerint, eidem legi quam profitentur per dispositionem pontificis ac nostram subjacebunt.

6. De rebus ecclesiarum injuste invasis sub occasione quasi licentia accepta a pontifice, et de his quae necdum redditae sunt et tamen fuerunt injuste a potestate pontificum invase, volumus ut per missos nostros fiant emendatae.

7. Prohibemus ut depraedationes inter confinia nostra ultra non fiant, et quae factae sunt, secundum legem de utrisque partibus ordinemus ut emendentur. Similiter volumus, ut ceterae injustitiae de utrisque partibus fiant emendatae.

8. Placuit nobis, ut cuncti judices sive hi qui cunctis praeesse debent, per quos judiciaria potestas in hac urbe Romana agi debent, in praesentia nostra veniant; volentes numerum et nomina eorum et scire, et singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.

9. Novissime admoneatur, ut omnis homo, sicut Dei gratiam et nostram habere desiderat; ita praestet in omnibus oboedientiam atque reverentiam huic pontifici.

Sacramentum Romanorum.

Promitto ego ille per Deum omnipotentem, et per ista sacra quatuor euangelia, et per hanc crucem domini nostri Iesu Christi, et per corpus beatissimi Petri principis apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis nostris imperatoribus Hludowico et Hlothario diebus vitae meae, juxta vires et intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi domno apostolico; et quod non consentiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio pontificis nisi

canonice et juste, secundum vires et intellectum meum; et ille qui electus fuerit, me consentiente consecratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in praesentia missi domni imperatoris et populi, cum juramento, quale domnus Eugenius papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum.[1]

THE TREATY OF VERDUN (843).

a) [Rudolfi Fuldensis Annales; M. G. H., SS. I. 362.]

Descripto regno a primoribus et in tres partes diviso, apud Viridunum Galliae civitatem tres reges mense Augusto convenientes, regnum inter se dispertiunt; et Hludowicus quidem orientalem partem accepit, Karolus occidentalem tenuit. Hlotharius, qui major natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem. Factaque inter se pace et juramento firmata, singuli ad disponendas tuendasque regni sui partes revertuntur. Karolus Aquitaniam, quasi ad partem regni sui jure pertinentem, affectans, Pippino nepoti suo molestus efficitur, eumque crebris incursionibus infestans, grande detrimentum proprii saepe pertulit exercitus.

b) Prudentii Trecusis Annales (Ann. Bertiniani).

Carolus ad condictum fratribus obvians penes Viradunum conjungitur; ubi distributis portionibus, Hludowicus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum vero Neme-

[1] This oath of Eugenius has not been preserved, but its probable tenor is evident. The authority expressed in this Sac. Rom. was first exercised in 827.

tum, Vangium et Moguntiam civitates pagosque sortitus est; Lotharius inter Rhenum et Scaldem in mare decurrentem, et rursus per Cameracensem, Hainnoum, Lomensem, Castritium, et eos comitatus qui Mosae citra contigui habentur usque ad Ararem Rodano influentem, et per deflexum Rodani in mare, cum comitatibus similiter sibi utrimque adhaerentibus; cetera usque ad Hispaniam Carolo cesserunt; factis sacramentis, tandem altrinsecus est discessum.

CANON OF STEPHEN IV., BUT MORE PROBABLY OF JOHN IX., AS TO ELECTION OF POPE (898).

[M. G. H., LL. II. a, 158.]

Quia sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore praesidemus, plurimas patitur violentias pontifice obeunte, quia absque imperatoris notitia et suorum legatorum praesentia pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam et scandala in ejus consecratione non permittant fieri, volumus id ut deinceps abdicetur, et constituendus pontifex convenientibus episcopis et universo clero eligatur, expetente senatu et populo, qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, praesentibus legatis imperialibus consecretur; nullusque sine periculo juramentum vel promissiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, nisi quae antiqua exigit consuetudo, ne ecclesia scandalizetur vel imperatoris honorificentia minuatur.

II. PERIOD OF THE SAXON EMPERORS.

THE ELECTION OF HENRY THE FOWLER (919).

[Widukindi Rerum Gestarum Saxonicarum Lib., III.]

Rex autem profectus in Boioariam, dimicavit cum Arnulfo, et ibi, ut quidam tradunt, vulneratus, revertitur in patriam suam. Cumque se morbo sensisset laborare pariter cum defectione primae fortunae, vocat fratrem, qui eum visitandi gratia aderat, quemque ita alloquitur: "Sentio," inquit, "frater, diutius me istam vitam tenere non posse, Deo, qui ordinavit ita, imperante, gravique morbo id cogente. Quapropter considerationem tui habeto, et quod ad te maxime respicit. Francorum toto regno consulito, mei adtendendo, fratris tui, consilio. Sunt nobis, frater, copiae exercitus congregandi atque ducendi, sunt urbes et arma cum regalibus insigniis et omne quod decus regium deposcit preter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Heinrico cedit, rerum publicarum secus Saxones summa est. Sumptis igitur his insigniis, lancea sacra, armillis aureis cum clammide et veterum gladio regum ac diademate, ito ad Heinricum, facito pacem cum eo, ut eum foederatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, ut cadat populus Francorum tecum coram eo? Ipse enim vere rex erit et imperator multorum populorum." His dictis frater lacrimans se consentire respondit. Post haec autem rex ipse moritur,

vir fortis et potens, domi militiaque optimus, largitate serenus et omnium virtutum insigniis clarus; sepeliturque in civitate sua Wilinaburg cum moerore ac lacrimis omnium Francorum.

Ut ergo rex imperarat, Evurhardus adiit Heinricum seque cum omnibus thesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit; quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus et natu majoribus exercitus Francorum in loco qui dicitur Fridisleri designavit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum. Cumque ei offerretur unctio cum diademate a summo pontifice (Hirigerus erat), non sprevit, nec tamen suscepit: "Satis," inquiens "michi est, ut pre majoribus meis rex dicar et designer, divina annuente gratia ac vestra pietate; penes meliores vero nobis unctio et diadema sit; tanto honore nos indignos arbitramur." Placuit itaque sermo iste coram universa multitudine, et dextris in caelum levatis, nomen novi regis cum clamore valido salutantes frequentabant.

HENRY I. GRANTS ARNOLF, DUKE OF BAVARIA, THE RIGHT TO APPOINT BISHOPS (921).

[Liutprandi Antipodosis; M. G. H., SS. III. 292, 293.]

In this connection it is interesting to compare two sentences from the letters of John X. (Migne, Patro. Lat., vol. 132, pp. 806, 807; Jaffé, Regest. Pontif. 3564 and 5):—

. . . cum prisca consuetudo vigeat qualiter nullus alicui clerico episcopatum conferre debeat, nisi rex.

. . . quod prisca consuetudo et regni nobilitas censuit quod nullus episcopum ordinare debuisset absque regis jussione.

Hoc eodem tempore Arnaldus cum uxore et filiis Hungaria rediens, honorifice a Bagoariis atque ab orientalibus suscipitur Francis. Neque enim solum suscipitur, sed ut rex fiat, ab iis vehementer hortatur. Rex Heinricus cum obtemperare suis omnes jussionibus, Arnaldum solummodo resistere cerneret, pervalido collecto exercitu, Bagoariam tendit. Quod Arnaldus ut audivit, ejus non passus est in Bagoaria praestolari adventum; verum collectis, quibus valuit, copiis huic obviam properat. Cuperat sane et ipse rex fieri. Cumque in eo esset, ut bellum pariter inire deberent, sicut vir sapiens et Dei timens rex Heinricus cogitans ex utraque parte inrecuperabile posse damnum accidere, Arnaldo, quatinus cum solo solus loquatur, denuntiat. Putans igitur Arnaldus, quo singulari se acciret certamine, ad condictum locum solus hora statuta pervenit. Quem sibi obviam properantem rex Heinricus tali est sermone adgressus:

Insana Domini jussis quid mente resistis?
Quod populus regem me cupit esse, scias,
Imperio Christi, quo constat machina mundi;
Tartarus hunc metuit, hunc Flegeton timuit;
Conterit hic nitidos reges dudumque tremendos
Sublimesque volens; erigit hic miseros,
Quo meritas Domino laudes per secula solvant.
Tune superbe, reus, perfide, dure, ferox,
Invidiae stimulis sevaque cupidine tactus,
Corpora christicolum perdere valde sitis?
Si regem populus cuperet praeponere temet,
Protinus is essem, qui magis hoc cuperet.

Hoc igitur quadrifario dicendi genere, copioso scilicet, brevi, sicco et florido, rex Heinricus, ut erat animi prudens, Arnaldi animum mulcens, ad suos rediit.

Arnaldus vero, cum suis haec omnia retulisset, hujusmodi ab eis audivit *ἀπόκρισην*, apócrisin, id est responsionem: Sapientis illius, immo sapientiae verae sententiam, quae ait: "Per me regis regnant, principes imperant, et prudentes justitiam decernunt," illamque apostoli dicentis "quod omnis ordinatio a Deo est, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit," quis ambigit? Neque enim in hujus electione totius populi posset esse animus unus, si a Trinitate summa, quae unus Deus est, ante mundi constitutionem non esset electus. Si bonus fuerit, diligendus erit, Deusque in eo laudandus; si vero malus, equanimiter tolerandus. Subditorum namque plerumque exigunt merita, quatinus nonnumquam a praelatis graventur, non regantur. Aequum autem justumque nobis videtur, ut a caeteris non dissentiens, hunc regem eligeres, ipse vero te, ut tam fortunatum et praedivitem virum, hoc pacto bearet, animique tui furorem mulceret, ut quod decessores non habuere tui, tibi condedatur, scilicet quatinus totius Bagoariae pontifices tuae subjaceant dicioni, tueque sit potestati, uno defuncto alterum ordinare. Conivens igitur Arnaldus suorum hoc optimo bonoque consilio, Heinrici regis miles efficitur, et ab eo, ut jam dictum est, concessis totius Bagoariae pontificibus honoratur.

OTHO I. IN ROME (962-3).

[Liutprandi His. Ottonis, c. 3, 8.]

8. Ubi [in Rome] miro ornatu novoque apparatu susceptus, ab eodem summo pontifice et universali papa Johanne unctionem suscepit imperii; solum propria non

restituit, verum etiam ingentibus gemmarum, auri argentique muneribus honoravit. Jusjurandum vero ab eodem papa Johanne supra preciossimum corpus sancti Petri, atque omnibus civitatis proceribus, se numquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepit. Post hec Papiam quantotius repedavit.

8. Haec dum aguntur, Phoebi radiis grave cancri sidus inestuans imperatorem Romanis arcibus propellebat. Sed cum virginale sidus gratam rediens temperiem ferret, collectis copiis, clam Romanis invitantibus, Romam advenit. Quid enim clam dixerim, cum major Romanorum pars optimatium sancti Pauli castellum invaserit, sanctumque imperatorem obsidibus etiam datis invitaverit? Quid multis morer? juxta urbem castrametatus imperator, Roma papa simul atque Adalpertus aufugiunt. Cives vero imperatorem sanctum cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatem repromittunt; hoc addentes et firmiter jurantes, numquam se papam electuros aut ordinaturos preter consensum et electionem domni imperatoris Ottonis cesaris augusti, filiique ipsius regis Ottonis.

DONATION OF OTHO I. (962).

[M. G. H., Dip. Otto, 235.]
(*Cf.* Sickel, Das Privilegium Otto I. für die römische Kirche.)

In nomine domini dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti. Ego Otto dei gratia imperator augustus una cum Ottone glorioso rege filio nostro divina ordinante providentia spondemus atque promittimus per hoc

pactum confirmationis nostre tibi beato Petro principi apostolorum et clavigero regni celorum et per te vicario tuo domno Johanni summo pontifici et universali XII^mo^ pape, sicut a predecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque dicione tenuistis et disposuistis: civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis suis atque viculis omnibus et territoriis ejus montanis ac maritimis, litoribus ac portubus, seu cunctis civitatibus castellis oppidis ac viculis Tuscie partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Maturianum, Sutriam, Nepem, castellum Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est majore et minore, Puluensim, Narniam et Utriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus. Nec non exarchatum Ravernatem sub integritate cum urbibus civitatibus oppidis et castellis que pie recordationis domnus Pippinus et domnus Karlus excellentissimi imperatores, predecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo et predecessoribus vestris jam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam et Emeliam; Bobium, Cesenam, Forumpopuli, Forumlivi, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiiaclum et Adrianis atque Gabellum cum omnibus finibus territoriis atque insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus. Simul et Pentapolim, videlicet Ariminum, Pensaurum, Phanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsimpronii, Montemfeltri, Urbanum et territorium Balnense, Callis, Luciolis et Eugubium, cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense sicut a domno Karlo imperatore antecessore nostro

beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritati. Item in partibus Tuscie Langobardorum castellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum regis, Ferenti, Viterbum, Orchem, Marcam, Tuscanam, Suanam, Popolonium, Roselles cum suburbanis atque viculis omnibus et territoriis ac maritimis, oppidis ac viculis seu finibus omnibus. Itemque a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regia, exinde in Mantua atque in monti Silicis atque provincia Venetiarum et Istria nec non et cunctum ducatum Spolitanum seu Beneventanum una cum ecclesia sancte Cristine posita prope Papiam juxta Padum quarto miliario. Item in partibus Campanie Soram, Arces, Aquinum, Arbinum, Teanum, et Capuam. Nec non et patrimonia ad potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum et patrimonium Neapolitanum atque patrimonia Calabrie superioris et inferioris — de civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis suis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur — nec non patrimonium Sicilie, si deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Gaietam et Fundim cum omnibus earum pertinentiis. Insuper offerimus tibi beate Petre apostole vicarioque tuo domno Johanni pape et successoribus ejus pro nostre anime remedio nostrique filii et nostrorum parentum de proprio nostro regno civitates et oppida cum piscariis suis, id est Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Baluam et Marsim et alibi civitatem Teramnem cum pertinentiis suis. Has omnes suprascriptas provintias urbes et civitates oppida atque castella viculos ac territoria simulque et patrimonia pro

remedio anime nostre et filii nostri sive parentum nostrorum ac successorum nostrorum et pro cuncto a deo conservato atque conservando Francorum populo jam dicte ecclesie tue beate Petre apostole et per te vicario tuo spiritali patri nostro domno Johanni summo pontifici et universali pape ejusque successoribus usque in finem seculi eo modo confirmamus ut in suo detineant jure principatu atque dicione. Simili modo per hoc nostre delegationis pactum confirmamus donationes quas pie recordationis domnus Pippinus rex et postea domnus Karlus excellentissimus imperator beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt, nec non et censum vel pensionem seu ceteras dationes que annuatim in palacium regis Longobardorum inferri solebant sive de Tuscia sive de ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur et inter sancte memorie Adrianum papam et domnum Karlum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano et Spolitano, sue auctoritatis preceptum confirmavit, eo scilicet modo ut annis singulis predictus census ad partem ecclesie beati Petri apostoli persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione et illorum ad nostram partem et filii nostri subjectione. Ceterum sicut diximus omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostre confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant jure principatu atque ditione et neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur aut a vobis inde aliquid subtrahatur de suprascriptis videlicet provintiis urbibus civitatibus oppidis castris viculis insulis territoriis atque patrimoniis nec

non et pensionibus atque censibus, ita ut neque nos ea facturi simus neque quibuslibet ea facere volentibus consenciamus, sed potius omnia que superius leguntur, id est provintie civitates urbes oppida castella territoria et patrimonia atque insulas censusque et pensiones ad partem ecclesie beati Patri apostoli atque pontificum in sacratissima sede illius residentium nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc ut ea in illius ditione ad utendum et fruendum atque disponendum firmiter valeant optineri. Salva in omnibus potestate nostra et filii nostri posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis successorumque illius continetur, id est ut omnis clerus et universi populi Romani nobilitas propter diversas necessitates et pontificum inrationales erga populum sibi subjectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatinus futura pontificum electio quantum uniuscujusque intellectus fuerit canonice et juste fiat, et ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecratus fiat pontifex, priusquam talem in presentia missorum nostrorum vel filii nostri seu universe generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conservatione, qualem domnus et venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dinoscitur. Praeterea alia minora huic operi inserenda previdimus, videlicet ut in electione pontificum neque liber neque servus ad hoc venire presumat, ut illis Romanis quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum, quod si quis contra hanc nostram institutionem ire presumpserit, exilio tradatur. Insuper etiam ut nullus missorum nos-

trorum cujuscumque impeditionis argumentum componere in prefatam electionem audeat, prohibemus, nam et hoc omnimodis instituere placuit ut qui semel sub speciale defensione domni apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione, quod si quis in quemquam illorum qui hoc promeruerint violare presumpserit, sciat se periculum vite sue esse incursurum. Illud etiam confirmamus ut domno apostolico justam in omnibus servent oboedientiam seu ducibus ac judicibus suis ad justiciam faciendam. Huic enim institucioni hoc necessario adnectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti qui annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli duces ac judices populo justiciam faciant, hanc imperialem constitucionem quomodo observent, qui missi decernimus ut primum cunctos clamores qui per neglegentiam ducum seu judicum fuerint inventi, ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat: aut statim per eosdem missos fiant ipse necessitates emendate aut, misso nostro nobis renunciante, per nostros missos a nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus sancte dei ecclesie et nostris firmum esse credatur, propriae manus signaculo et nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostre roboravimus et bulle nostre inpressioni adsignari jussimus.

(†) Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris ac suorum episcoporum abbatum et comitum.

(†) Signum Adaldagi Hamaburgiensis ecclesie archiepiscopi. Signum Hartberti Curiensis ecclesie episcopi. (Then follow the names of twenty-four bishops, abbots, and counts.)

Anno dominice incarnationis DCCCCLXII indictione V. mense feb., XIII die ejusdem mensis, anno vero domni Ottonis imperii invictissimi imperatoris XXVII° facta es hec pactio feliciter.

ELECTION OF JOHN XIII. (965).

[Continuator Reginonis; M. G. H., SS. I. 627.]

Eodem etiam anno domnus Leo papa obiit. Tunc legati Romanorum, Azo videlicet protoscrinarius, et Marinus, Sutriensis ecclesiae episcopus, imperatorem pro instituendo quem vellet Romano pontifice in Saxonia adeuntes, honorifice suscipiuntur et remittuntur. Et Otgerus, Spirensis episcopus, et Liuzo, Cremonensis episcopus, cum eisdem Romam ab imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Johannes, Narniensis ecclesiae episcopus, eligitur, et sedi apostolicae pontifex intronizatur.

FOUR DECREES OF THE SYNOD AT SELIGENSTADT (1022).

[Hirsch-Bresslau; Heinrich II., III., Excur. ix.]

XVI. *De illis qui Romam ituri sunt.*

Decrevit sancta synodus, ut nullus Romam eat nisi cum licentia episcopi sui vel ejus vicarii.

XVII. *Ut carina non dividatur poenitenti.*

Illud sub anathemate decretum est, ut nullus presbyterorum cuiquam poenitenti carinam dividere praesumat, nisi infirmitas intercidat.

XVIII. *De illis qui poenitentiam a suis sacerdotibus accipere nolunt.*

Quia multi tanta mentis suae falluntur astutia, ut in aliquo capitali crimine inculpati poenitentiam a sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam petentibus apostolicus omnia dimittat peccata, sancto concilio visum est, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti poenitentiam a suis sacerdotibus injunctam adimpleant et tunc, Romam ire si velint, ab episcopo proprio licentiam et epistolam ad apostolicum ex hisdem rebus referendam accipiant.

XIX. *Ut omnis poenitens, dum carinam fecit, de loco ad locum non migret.*

Decretum est in eodem concilio, ut omnis poenitens, dum carinam jejunat, de loco ad locum non migret, sed ibi perficiat, ubi in coepit, quatinus sacerdos suus sibi sit testis. Si autem ibi propter hostiles insidias jejunare non possit, suus sacerdos illum confratrum suorum alicui, ubi pacifice jejunare possit, diligentissime commendet.

III. THE PERIOD OF THE FRANCONIAN EMPERORS AND LOTHAR III.

HENRY III. IN ITALY (1046).

[Annales Corbeinenses: Jaffé; Bib. Rer. Ger., I. 39.]

Synodus magna et prima Papiae, presente domno H(einrico) tunc rege; secunda Sutriae, in qua in presentia regis secundum instituta canonum depositi sunt papae duo, medius et ultimus; tercia Rome feria 3 et 4, quae fuit nativitatis dominicae vigilia, in qua canonica et synodice depositus est papa Benedictus et unanimi cleri ac populi electione in locum ejus substitutus est Suidgerus Bavenbergensis episcopus, et postera die nomine Clementis papa consecratus, domnum Heinricum voto et favore maximo populi Romani coronavit imperatorem.

DECREE OF NICHOLAS II. AS TO ELECTION OF POPES (1059).

[Scheffer-Boichorst; Die Neuordnung der Papstwahl durch Nikolaus II. 14 sq.]

In nomine domini dei salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus MLIX. mense Aprili, indictione XII., praepositis sacrosanctis evangeliis, praesi-

dente quoque reverendissimo ac beatissimo Nicolao apostolico papa, in basilica Lateranensi patriarchi, quae cognominatur Constantiniana, considentibus etiam reverendissimis archiepiscopis, episcopis, abbatibus seu venerabilibus presbyteris atque diaconibus, idem venerabilis pontifex, auctoritate apostolica decernens, de electione summi pontificis inquit:

Novit beatitudo vestra, dilectissimi fratres et coepiscopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piae memoriae domino Stephano decessore nostro, haec apostolica sedes, cui auctore deo deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per simoniacae haeresis trapezitas malleis crebrisque tunsionibus subiacuerit, adeo ut columna dei viventis iamiam paene videretur nutare et sagena summi pisatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi. Unde, si placet fraternitati vestrae, debemus auxiliante deo futuris casibus prudenter occurrere et ecclesiastico satui, ne rediviva — quod absit! — mala praevaleant, in posterum praevidere. Quapropter instructi praedecessorum nostrorum aliorumque sanctorum patrum auctoritate decernimus atque statuimus:

1. Ut, obeunte huius Romanae universalis ecclesiae pontifice, imprimis cardinales episcopi diligentissima simul consideratione tractantes, mox sibi clericos cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedant.

2. Ut — nimirum ne venalitatis morbus qualibet occasione surripiat, — religiosi viri praeduces sint in promovendi pontificis electione, reliqui autem sequaces.

Et certe rectus atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum patrum regulis

sive gestis, etiam illa beati praedecessoris Leonis sententia recolatur: "Nulla," inquit, "ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati." Quia vero sedes apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur ecclesiis atque ideo super se metropolitanum habere non potest, cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum antistitem ad apostolici culminis apicem provehunt.

3. Eligant autem de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non inventitur, ex alia assumatur.

4. Salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici qui inpraesentiarum rex habetur et futurus imperator deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus et successoribus illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint.

5. Quodsi pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita electio fieri in Urbe non possit, cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicisque laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligere apostolicae sedis pontificem, uti congruentius iudicaverint.

6. Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est in apostolica sede iuxta consuetudinem intronizari non valeat, electus tamen sicut papa auctoritatem obtineat regendi sanctam Romanam ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante consecrationem suam fecisse cognoscimus.

Quodsi quis contra hoc nostrum decretum synodali sententia promulgatum per seditionem vel praesumptionem aut quodlibet ingenium electus aut etiam ordinatus seu intronizatus fuerit, auctoritate divina et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, perpetuo anathemate cum suis auctoribus, fautoribus, sequacibus a liminibus sanctae dei ecclesiae separatus subiiciatur, sicut Antichristus et invasor atque destructor totius christianitatis; nec aliqua super hoc audientia aliquando ei reservetur, sed ab omni ecclesiastico gradu, in quocunque prius fuerat, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adhaeserit vel qualemcunque tanquam pontifici reverentiam exhibuerit aut in aliquo illum defendere praesumpserit, pari sententia sit mancipatus. Quisquis autem huius nostrae decretalis sententiae temerator extiterit et Romanam ecclesiam sua praesumptione confundere et perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur et cum impiis, qui non resurgent in iudicio, reputetur.

Omnipotentis scilicet dei patris et filii et spiritus sancti contra se iram sentiat et sanctorum apostolorum, Petri et Pauli, quorum praesumit confundere ecclesiam, in hac vita et in futura furorem reperiat. Fiat habitatio eius deserta, et in tabernaculis eius non sit qui inhabitet. Fiant filii eius orphani et uxor eius vidua. Commotus amoveatur ipse atque filii eius et mendicent et eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur foenerator omnem substantiam eius, et diripiant alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra eum, et cuncta elementa sint ei contraria, et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant et in hac vita super eum apertem vindictam ostendant. Observatores autem huius nostri

decreti dei omnipotentis gratia protegat, et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omnium peccatorum vinculis absolvat.

Ego Nicolaus episcopus sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae huic decreto a nobis promulgato, sicut superius legitur, subscripsi. Bonifacius dei gratia Albanensis episcopus subscripsi. Humbertus sanctae ecclesiae Silvae Candidae episcopus subscripsi. Petrus Ostiensis ecclesiae episcopus subscripsi. Et caeteri episcopi numero LXXVI. cum presbyteris et diaconibus subscripserunt.

LETTER OF HENRY IV. TO GREGORY VII. (1073).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 46.]

Vigilantissimo et desiderantissimo domno papae Gregorio apostolica dignitate coelitus insignito Henricus Romanorum Dei gratia rex debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.

Cum enim regnum et sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant oportet nimirum, domine mi et pater amantissime, quatinus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino conjunctissima indissolubiliter sibi cohaereant. Namque sic et non aliter conservatur in vinculo perfectae caritatis et pacis et christianae concordia unitatis et ecclesiasticae simul status religionis. Sed nos, qui Deo annuente regni aliquamdiu jam sortimur ministerium, sacerdotio, ut oportuit, per omnia jus et honorem non exhibuimus legitimum; quippe nobis a Deo date

potestatis vindicem non sine causa gladium portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum semper censura evaginavimus. Nunc autem divina miseratione aliquantulum compuncti et in nos reversi, peccata nostra priora vestrae indulgentissimae paternitati nos accusando confitemur; sperantes de vobis in Domino, ut, apostolica vestra auctoritate absoluti, justificari mereamur.

Eheu criminosi nos et infelices, partim pueritiae blandientis instinctione, partim potestativae nostrae et imperiosae potentiae libertate, partim etiam eorum, quorum seductiles nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in coelum et coram vobis; et jam digni non sumus vocatione vestrae filiationis. Non solum enim nos res ecclesiasticas invasimus, verum, quoque indignis quibus libet et symoniaco felle amaricatis et non per otium sed aliunde ingredientibus ecclesias ipsas vendidimus, et non eas ut oportuit defendimus.

At nunc, quia soli absque vestra auctoritate ecclesias corrigere non possumus, super his, ut etiam de nostris omnibus, vestrum una et consilium et auxilium obnixe quaerimus; vestrum studiosissime praeceptum servaturi in omnibus. Et nunc in primis pro ecclesia Mediolanensi, quae nostra culpa est in errore, rogamus: ut vestra apostolica districtione canonice corrigatur; et exinde ad caeteras corrigendas autoritatis vestrae sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus Deo volente non defuerimus; rogantes id ipsum suppliciter paternitatem vestram, ut nobis alacris adsit clementer in omnibus. Litteras nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis; ex quibus nostra, quae adhuc dicenda restant, Deo dante plenius audietis.

"DICTATUS HILDEBRANDINI" (1075).

[Greg. VII., Reg. II. Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 174.]

Quod Romana ecclesia a solo Domino sit fundata.

Quod solus Romanus pontifex jure dicatur universalis.

Quod ille solus possit deponere episcopos vel reconciliare.

Quod legatus ejus omnibus episcopis praesit in concilio, etiam inferioris gradus; et adversus eos sententiam depositionis possit dare.

Quod absentes papa possit deponere.

Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera nec in eadem domo debemus manere.

Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica abbatiam facere, et e contra divitem episcopatum dividere et inopes unire.

Quod solus possit uti imperialibus insigniis.

Quod solius papae pedes omnes principes deosculentur.

Quod illius solius nomen in ecclesiis recitetur.

Quod hoc unicum est nomen in mundo.

Quod illi liceat imperatores deponere.

Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, episcopos transmutare.

Quod de omni ecclesia, quocumque voluerit, clericum valeat ordinare.

Quod ab illo ordinatus alii ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum accipere.

Quod nulla synodus absque praecepto ejus debet generalis vocari.

Quod nullum capitulum nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.

Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit.

Quod a nemine ipse judicari debeat.

Quod nullus audeat condemnare apostolicam sedem apellantem.

Quod majores causae cujuscumque ecclesiae ad eam referri debeant.

Quod Romana ecclesia numquam erravit nec in perpetuum, scriptura testante, errabit.

Quod Romanus pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi episcopo, ei multis sanctis patribus faventibus, sicut in decretis beati Symachi papae continetur.

Quod illius praecepto et licentia subjectis liceat accusare.

Quod absque synodali conventer possit episcopos deponere et reconciliare.

Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae ecclesiae.

Quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

THE SYNOD AT WORMS (1076).

a) *The Letter of the Bishops to Gregory VII.*

[M. G. H., LL. II. 44 sq.]

Sigifridus Mogontinus archiepiscopus, Udo Treverensis, Willehelmus Trajectensis, Herimannus Metensis,

Heinricus Leodiensis, Ricbertus Verdonensis, Bibo Tullensis, Hozemannus Spirensis, Burckhardus Halberstadensis, Wernherus Strasburgensis, Burchardus Basiliensis, Otto Constantiensis, Adalbero Wirciburgensis, Routbertus Babenbergensis, Otto Ratisponensis, Ellinardus Frisingensis, Odalricus Eistetensis, Fridericus Monasteriensis, Eilbertus Mindensis, Hezil Hiltinisheimensis, Benno Oseneburgensis, Eppo Neopolitanus, Imadus Paderbrunnensis, Tiedo Brandaneburgensis, Burchardus Losannensis, Bruno Veronensis, Hildebrando fratri.

Cum primum ecclesiae gubernacula invassisses, etsi bene nobis cognitum esset, quam illicitam et nefariam rem contra jus et fas familiari tibi arrogantia praesumpsisses; dissimulanda tamen dispensatoria quadam taciturnitate, tam vitiosa introitus tui exordia putavimus sperantes videlicet tam criminosa principia consequentis regiminis tui probitate et industria emendanda, et aliquatenus oblitteranda. Verum nunc, ut lamentabilis universalis ecclesiae status clamat et deplorat, malis initiis tuis per pejores actionum decretorumque tuorum progressus infelici respondes tenore et pertinacia. Cum enim Dominus et redemptor noster pacis et charitatis bonum quasi singularem fidelibus suis characterem impresserit, cujus rei testimonia plura extant quam ut epistolari brevitate comprehendi valeant, tu e contrario dum profanis studes novitatibus, dum magis amplo quam bono nomine delectaris, dum inaudita elatione distenderis, velut quidam signifer scismatis omnia membra ecclesiae quae secundum apostolum quietam et tranquilam vitam ante haec tua tempora agebant, superba crudelitate, crudelique superbia lacerasti, flammamque

discordiae quam in Romana ecclesia diris factionibus excitasti, per omnes ecclesias Italiae, Germaniae, Galliae et Hispaniae furiali dementia sparsisti. Sublata enim, quantum in te fuit, omni potestate ab episcopis, quae eis divinitus per gratiam sancti Spiritus, qui maxime in ordinationibus operatur, collata esse dinoscitur, omnique rerum ecclesiasticarum administratione plebeio furori per te attributa, dum jam nemo alicui episcopus aut presbyter est, nisi qui haec indignissima assentatione a fastu tuo emendicavit, omnem apostolicae institutionis vigorem, illamque pulcherrimam membrorum Christi distributionem quam doctor gentium tociens commendat et inculcat, miserabili confusione miscuisti; sicque per haec tua gloriosa decreta, quod sine lachrimis dici non potest, Christi fere nomen periit. Quis autem illud pro indignitate rei non stupeat, quod novam quandam indebitamque potentiam tibi usurpando arrogas, ut debita universae fraternitati jura destruas? Asseris enim, cujuscunque nostrum parrochiani aliquod ad te delictum vel sola fama perveniat, ultra jam non habere quemquam nostrum aliquam potestatem vel ligandi eum vel solvendi, praeter te solum, aut eum quem tu specialiter ad hoc delegeris. Quae sententia, quam omnem insaniam excedat, quis in sacris litteris eruditus non videat? Quia ergo per hos aliosque praesumptionum tuarum spiritus ecclesiam Dei tam graviter periclitantem, imo fere pessundatam diutius tollerare, omni malo deterius judicavimus; placuit, ut communi concilio omnium nostrum tibi, quod hactenus tacuimus, innotescat, quam ab rem nec modo possis, nec unquam potueris sedi apostolicae praeesse. Tu ipse tempore bonae memoriae Heinrici imperatoris te ipsum corporali sacramento ob-

strinxisti, quod nunquam vivente ipso imperatore, aut filio ejus domino nostro glorioso rege, qui modo summae rerum praeest, papatum aut ipse susciperes, aut alium quantum in te esset suscipere patereris, absque assensu et laudamento vel patris dum viveret, et filii dum et ipse viveret. Adque hoc sacramentum sunt hodie testes plerique episcopi, qui hoc tunc et oculis suis videre et auribus audiere. Illud etiam recordare, quomodo tu ipse, cum aliquos ex cardinalibus ambitio papatus titillaret, ad tollendam aemulationem, hac occasione et conditione ut idem hoc ipsi facerent, sacramento te obligasti, quod nunquam papatum habiturus esses. Utraque haec sacramenta quam sancte observaveris, tu videris. Praeterea cum tempore Nicolai papae synodus celebraretur, in qua 125 episcopi consederant, sub anathemate id statutum et decretum est, ut nullus unquam papa fieret, nisi per electionem cardinalium et approbationem populi et per consensum autoritatemque regis. Atque hujus consilii seu decreti tu ipse auctor, persuasor subscriptorque fuisti. Ad hoc quasi foetore quodam gravissimi scandali totam ecclesiam replesti de convictu et cohabitatione alienae mulieris familiariori, quam necesse est. In qua re verecundia nostra magis quam causa laborat, quamvis haec generalis querela ubique personuerit, omnia judicia, omnia decreta per feminas in apostolica sede actitari, denique per hunc feminarum novum senatum totum orbem ecclesiae administrari. Nam de injuriis et contumeliis episcoporum, quos filios meretricum et cetera id genus indignissime appellas, nulla querimonia sufficit. Quia ergo introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, et ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem tuarum novitatum periclita-

tur, et vitam conversationemque tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam nullam tibi promisimus, nec de caetero ullam servaturos esse, renuntiamus, et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit episcopus, tu quoque nulli nostrum amodo eris apostolicus.

b) *Accompanying Letter from Henry IV.*

[M. G. H., LL. II. 47.]

Heinricus non usurpatione, sed pia Dei ordinatione rex, Hildebrando jam non apostolico, sed falso monacho. Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem praeteristi, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca et egregia loquamur, rectores sanctae ecclesiae, videlicet archiepiscopos, episcopos, presbiteros, non modo non tangere, sicut christos Domini, non timuisti, quin sicut servos nescientes quid faciat dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti. In quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti; quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse judicasti, qua utique scientia non ad aedificationem, sed ad destructionem uti studuisti; ut jure hoc beatum Gregorium, cujus nomen tibi usurpasti, de te prophetasse credamus sic dicentem: Ex affluentia subjectorum plerumque animus praelati extollitur, et aestimat se plus omnibus posse. Et nos quidem haec omnia sustinuimus, dum apostolicae sedis honorem servare studuimus; sed tu humilitatem nostram timorem fore intellexisti, ideoque et in regiam potestatem nobis

a Deo concessam exurgere non timuisti, quam te nobis auferre ausus es minari: quasi nos a te regnum acceperimus, quasi in tua et non in Dei manu sit vel regnum vel imperium. Quia dominus noster Jesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astutia, quod monarchica professio abhominatur, pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adisti, et de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in praelatos armasti, dum episcopos nostros a deo vocatos, tu non vocatus spernendos docuisti, dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel condempnent, quos ipsi a manu Dei per impositionem manuum episcopalium docendi acceperant. Me quoque, qui licet indignus inter christos ad regnum sum unctus, tetigisti, quem sanctorum patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine nisi a fide, quod absit, exorbitaverim, deponendum asseruit; cum etiam Julianum apostatam prudentia sanctorum patrum non sibi sed soli Deo judicandum deponendumque commiserit, Ipse quoque verus papa beatus Petrus clamat: Deum timete, regem honorate. Tu autem, qui deum non times, in me constitutum ejus inhonoras. Unde beatus Paulus, ubi angelo de coelo, alia si praedicaverit, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim: Si quis vel ego vel angelus e coelo praeter id quod evangelizatum est vobis evangelizaverit, anathema sit. Tu ergo hoc anathemate, et omnium episcoporum nostrorum judicio et nostro dampnatus descende, vendicatam sedem apostolicam relinque; alius in solium beati Petri ascendat, qui nulla violentiam religione palliet, sed beati Petri sanam doceat doctrinam. Ego Heinricus

Dei gratia rex cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus, Descende, descende, per saecula damnande!

FIRST EXCOMMUNICATION OF HENRY IV. (22 Feb. 1076).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger. II. 223.]

Beate Petre apostolorum princeps, inclina, quaeso, pias aures tuas nobis et audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi et usque ad hanc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt et odiunt. Tu mihi testis es et domina mea mater Dei et beatus Paulus frater tuus inter omnes sanctos: quod tua sancta Romana ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, et ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi saeculari ingenio arripere. Et ideo ex tua gratia non ex meis operibus credo quod tibi placuit et placet: ut populus christianus, tibi specialiter commissus, mihi obediat. Specialiter pro vice tua mihi commissa et mihi tua gratia est potestas a Deo data ligandi atque solvendi in celo et in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro ecclesiae tuae honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti per tuam potestatem et auctoritatem Heinrico regi, filio Heinrici imperatoris, qui contra tuam ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiae gubernacula contradico; et omnes christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecerunt vel

facient, absolvo; et, ut nullus ei sicut regi serviat, interdico. Dignum est enim, ut, qui studet honorem ecclesiae tuae imminuere, ipse honorem amittat, quem videtur habere. Et quia sicut christianus contempsit oboedire nec ad Deum rediit quem dimisit — participando excommunicatis; et multas iniquitates faciendo; meaque monita, quae pro sua salute sibi misi te teste, spernendo; seque ab ecclesia tua, temptans eam scindere, seperando — vinculo eum anathematis vice tua alligo. Et sic eum ex fiducia tua alligo: ut sciant gentes et comprobent, quia tu es Petrus et super tuam petram filius Dei vivi aedificavit ecclesiam suam et porte inferi non praevalebunt adversus eam.

CONVENTUS OPPENHEIMENSIS (October, 1076).

[M. G. H., LL. II. 49.]

a) *Promissio Heinrici regis, quam fecit Hildebrando papae, qui et Gregorius.*

Consilio fidelium nostrorum ammonitus, sedi apostolicae et tibi Gregorio papae debitam in omnibus servare obedientiam promitto, et quaecunque ejusdem sedis vel tui honoris imminutio per nos orta videtur, devota satisfactione emendare curabo. Quia vero graviora quaedam de nobis jactantur, quae in eandem sedem et tuam reverentiam statuerim, ea congruo tempore vel innocentiae suffragio, vel opitulante Deo, expurgabo vel tum demum pro his competentem poenitentiam libenter amplectar. Condecet autem et sanctitatem tuam, ea

quae de te vulgata scandalum ecclesiae pariunt, non dissimulare, sed remoto a publica conscientia et hoc scrupulo, universalem tam ecclesiae quam regni tranquillitatem per tuam sapientiam stabiliri.

b) *Edictum generale.*

H. Dei gratia rex, archiepiscopis, episcopis, marchionibus, comitibus, et cujuscunque dignitatis ordini, bonae suae voluntatis gloriosam dignationem. Quia mansuetudini nostrae contra sedem apostolicam ejusque venerandum praesulem domnum Gregorium papam ab aliquibus subreptum esse fidelium nostrorum suggestione recognovimus, placuit nobis priorem sententiam salubri consilio mutare, et more antecessorum progenitorumque nostrorum eidem sacrosanctae sedi et qui ei praeesse dinoscitur, domno Gregorio papae, per omnia debitam servare obedientiam, et si quid in eum gravius praesumptum est, competenti satisfactione conponere. Volumus autem, ut et vos serenitatis nostrae exemplo ammoniti, solennem beato Petro ejusque vicario satisfactionem exhibere non dubitetis, et quicunque ejus banno se adstrictos intelligunt, ab ipso videlicet domno papa Gregorio solenniter absolvi elaborent.

CANOSSA.

a) *Letter of Gregory VII. to German Nobles.*

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 256 sq.]

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, caeteris-

que principibus regni Teutonicorum christianum fidem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam pro amore justitiae communem nobiscum in agone christianae militiae causam et periculum suscepistis; qualiter rex, humiliatus ad poenitentiam, absolutionis veniam impetraverit, et quomodo tota causa post introitum ejus in Italiam huc usque deducta sit, vestrae dilectioni sincera caritate indicare curavimus.

Sicut constitutum fuit cum legatis, qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis ducum ad Clusas nobis occurrere debuit; expectantes adventum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Verum cum, jam decurso termino, hoc nobis nunciaretur: his temporibus prae multis — quod et nos quidem credimus — difficultatibus ducatum nobis obviam mitti non posse; nec aliunde copiam ad vos transeundi haberemus; non parva sollicitudine, quid potissimum nobis agendum foret, circumventi sumus.

Interim vero, regem adventare, certe cognovimus. Qui etiam, priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos legatos praemittens, per omnia se satisfacturum Deo et sancto Petro ac nobis, obtulit; et, ad emendationem vitae suae, omnem se servaturum oboedientiam, repromisit; dummodo apud nos absolutionis et apostolicae benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cum diu multis consultationibus differentes, acriter eum de suis excessibus per omnes qui intercurrebant nuncios redargueremus; tandem per semet ipsum, nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit. Ibique per triduum ante portam castri, deposito omne regio cultu, misera-

biliter, utpote discalciatus et laneis indutus, persistens, non prius cum multo fletu apostolicae miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes, qui ibi aderant et ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit: ut, pro eo multis precibus et lacrimis intercedentes, omnes quidem insolitam nostrae mentis duritiam mirarentur, nonnulli vero, in nobis non apostolicae severitatis gravitatem sed quasi tyrannicae feritatis crudelitatem esse, clamarent.

Denique instantia compunctionis ejus et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum sanctae matris ecclesiae recepimus; acceptis ab eo securitatibus, quae inferius scriptae sunt. Quarum etiam confirmationem per manus abbatis Cluniacensis et filiarum nostrarum Mathildis et comitissae Adelaiae et aliorum principum, episcoporum et laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus.

His itaque sic peractis, ut ad pacem ecclesiae et concordiam regni, sicut diu desideravimus, omnia plenius Deo adjuvante coaptare possimus, ad partes vestras data primum opportunitate transire cupimus. Hoc enim dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quoniam, sicut in descriptis securitatibus cognoscere potestis, ita adhuc totius negocii causa suspensa est, ut et adventus noster et consiliorum vestrorum unanimitas per maxime necessaria esse videantur. Quapropter in ea fide quam coepistis et amore justitiae omnes permanere studete; scientes: nos non aliter regi obligatos esse, nisi quod puro sermone—sicut michi mos est—in his eum de nobis sperare dixerimus, in quibus eum ad salutem et honorem suum, aut cum justitia aut cum misericordia, sine nostrae et illius animae periculo adjuvare possimus.

b) *Jusjurandum Henrici regis Teutonicorum.*

Ego Henricus rex de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, duces, comites, ceterique principes regni Teutonicorum et alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem domnus papa Gregorius constituerit, aut justitiam secundum judicium ejus aut concordiam secundum consilium ejus faciam; nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit; quo transacto, ad peragendum idem paratus ero. Item, si idem domnus papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte et eorum, quos constringere potero, ab omni laesione vitae et membrorum ejus seu captione — tam ipse quam qui in ejus conductu et comitatu fuerint seu qui ab illo mittuntur vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint — in eundo et ibi morando seu inde redeundo. Neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum illum adjuvabo.

Actum Canusiae 5 Kalendas Fabruarii, indictione 15.

DECREES OF GREGORY VII. FORBIDDING THE CLERGY TO RECEIVE INVESTITURE FROM LAYMEN.

a) *Decree of Nov.* 19, 1078.

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 332.]

Quoniam investuras ecclesiarum contra statuta sanctorum patrum a laicis personis in multis portibus cogno-

vimus fieri et ex eo plurimas perturbationes in ecclesia oriri, ex quibus christiana religio conculcatur, decernimus: ut nullus clericorum investituram episcopatus vel abbatiae vel ecclesiae de manu imperatoris vel regis vel alicujus laicae personae, viri vel feminae, suscipiat. Quod si praesumpserit, recognoscat: investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, et se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere.

b) *Decree of March* 7, 1080.

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 398.]

Sequentes statuta sanctorum patrum — sicut in prioribus conciliis, quae Deo miserante celebravimus, de ordinatione ecclesiasticarum dignitatum statuimus — ita et nunc apostolica auctoritate decernimus et confirmamus: ut si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicae personae susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur nec ulla ei ut episcopo seu abbati audientia concedatur. Insuper etiam ei gratiam sancti Petri et introitum ecclesiae interdicimus, quo usque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiae, quod est scelus idolatrie, cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

Item si quis imperatorum regum ducum marchionum comitum vel quilibet saecularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticae dignitatis dare praesumpserit, ejusdem sententiae vinculo se obstrictum esse sciat. Insuper etiam, nisi resipiscat et ecclesiae propriam libertatem dimittat, divinae animadversionis ultionem in hac praesenti vita tam in corpore suo quam ceteris rebus suis sentiat; ut in adventu Domini spiritus salvus fiat.

SECOND EXCOMMUNICATION AND DEPOSITION OF HENRY IV. (March, 1080).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 401.]

Beate Petre princeps apostolorum et tu beate Paule doctor gentium, dignamini queso aures vestras ad me inclinare meque clementer exaudire. Quia veritatis estis discipuli et amatores, adjuvate, ut veritatem vobis dicam, omni remota falsitate quam omnino detestamini; ut fratres mei melius mihi adquiescant, et sciant et intelligant: quia ex vestra fiducia post Deum et matrem ejus semper virginem Mariam pravis et iniquis resisto, vestris autem fidelibus auxilium praesto. Vos enim scitis: quia non libenter ad sacrum ordinem accessi; et invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii, sed magis invitus cum domino meo papa Leone ad vestram specialem ecclesiam redii, in qua utcunque vobis deservivi; deinde valde invitus cum multo dolore et gemitu ac planctu in throno vestro valde indignus sum collocatus. Hec ideo dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me et gravissimum pondus vestrae ecclesiae supra me posuistis. Et quia super montem excelsum me jussistis accendere ac clamare atque annunciare populo Dei scelera eorum et filiis ecclesiae peccata eorum, membra diaboli contra me coeperunt insurgere et usque ad sanguinem praesumpserunt in me manus suas inicere. Astiterunt enim reges terrae et principes seculares et ecclesiastici, aulici etiam et vulgares convenerunt in unum adversus Dominum et adversus vos christos ejus, dicentes: "Dirumpamus vincula eorum et proiciamus a nobis jugum ipsorum"; et ut me omnino morte vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere.

Inter quos specialiter Heinricus, quem dicunt regem, Heinrici imperatoris filius, contra vestram calcaneum erexit ecclesiam, facta cum multis episcopis ultramontanis et Italicis conspiratione, annitens, me deiciendo eam sibi subjugare. Cujus superbiae vestra resistit auctoritas, eamque vestra destruxit potestas. Qui, confusus et humilitatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quaesivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suae vitae emendatione, solam ei communionem reddidi; non tamen in regno, a quo eum in Romana synodo deposueram, instauravi; nec fidelitatem omnium, qui sibi juraverant vel erant juraturi, a qua omnes absolvi in eadem synodo, ut sibi servaretur, praecepi. Et haec ideo detinui, ut inter eum et episcopos vel principes ultramontanos, qui ei causa jussionis vestrae ecclesiae restiterant, justitiam facerem vel pacem componerem; sicut ipse Heinricus juramento per duos episcopos michi promisit. Praedicti autem episcopi et principes ultramontani, audientes, illum non servare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio vobis testibus, elegerunt sibi Rudulfum ducem in regem. Qui rex Rodulfus festinanter ad me misso nuncio indicavit: se coactum regni gubernacula suscepisse tamen; sese paratum michi omnibus modis oboedire. Et ut hoc verius credatur, semper ex eo tempore eundum mihi misit sermonem, adiciens etiam filio suo obside et fidelis sui ducis Bertaldi filio, quod promittebat, firmare. Interea Heinricus cepit me precari, ut illum contra predictum Rodulfum adjuvarem. Cui respondi: me libenter facere audita utriusque partis ratione, ut scirem, cui justitia magis faveret. Ille vero putans, suis viribus eum posse devin-

cere, meam contempsit responsionem. Postquam autem persensit, se non posse sicut speravit agere, duo episcopi, Verdunensis videlicet et Osenburgensis, de consentaneis suis, Romam venerunt et in synodo ex parte Henrici me, ut ei justitiam facerem, rogaverunt. Quod et nuncii Rodulfi fieri laudaverunt. Tandem, aspirante Deo sicut credo, statui in eadem synodo: in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax statueretur aut, cui amplius justitia faveret, cognosceretur. Ego enim, sicut vos mihi testes estis patres et domini, usque hodie nullam partem disposui adjuvare nisi eam, cui plus justitia faveret. Et quia putabam, quod injustior pars colloquium nollet fieri, ubi justitia suum locum servaret, excommunicavi et anathemate alligavi omnes personas sive regis sive ducis aut episcopi seu alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ut non fieret. Predictus autem Heinricus cum suis fautoribus, non timens periculum inoboedientiae quod est scelus idolatriae, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, et se ipsum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem christianorum morti tradi et ecclesias fecit dissipari, et totum paene Teutonicorum regnum desolationi dedit. Quapropter, confidens de judicio et misericordia Dei ejusque piisime matris semper virginis Mariae, fultus vestra auctoritate, saepe nominatum Heinricum, quem regem dicunt, omnesque fautores ejus excommunicationi subicio et anathematis vinculis alligo. Et iterum regnum Teutonicorum et Italiae ex parte omnipotentis Dei et vestra interdicens ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam tollo; et, ut nullus christianorum ei sicut regi oboediat, interdico; omnesque, qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione, a juramenti

promissione absolvo. Ipse autem Heinricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam optineat. Ut autem Rodulfus regnum Teutonicorum regat et defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono largior et concedo; omnibus sibi fideliter adhaerentibus absolutionem omnium peccatorum vestramque benedictionem in hac vita et in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Heinricus pro sua superba inoboedientia et falsitate a regni dignitate juste abicitur, ita Rodulfo pro sua humilitate oboedientia et veritate potestas et dignitas regni conceditur.

Agite nunc queso, patres et principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat, quia, si potestis in coelo ligare et solvere, potestis in terra imperia regna principatus ducatus marchias comitatus et omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique et concedere. Vos enim patriarchatus primatus archiepiscopatus episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia judicatis, quid de saecularibus vos posse credendum est! Et si angelos, dominantes omnibus superbis principibus, judicabitis, quid de illorum servis facere potestis! Addiscant nunc reges et omnes saeculi principes, quanti vos estis, quid potestis; et timeant parvi pendere jussionem ecclesiae vestrae. Et in praedicto Heinrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant, quia non fortuitu sed vestra potestate cadet. Confundetur; utinam ad penitentiam, ut spiritus sit salvus in die Domini.

Acta Rome Nonis Martii, indictione 8.

THE SYNOD AT BRIXEN DEPOSES GREGORY VII. (June, 1080).

[M. G. H., LL. II. 51 sq.]

Anno dominicae incarnationis 1080, mediante serenissimo rege Heinrico IV. anno regni ejus 26, 7 Kalend. Julii feria 5, Ind. 3, cum apud Brixinam Noricam 30 episcoporum conventus, nec non et optimatum exercitus, non solum Italiae sed et Germaniae, jussu regio congregaretur, facta est vox una velut ab ore omnium terribiliter conquerentium super truculenta vesania cujusdam Hildebrandi pseudomonachi, Gregorii papae septimi cognominati, cur tam diu ipsam rex semper invictus saevire pateretur intactam, cum vas electionis Paulus testetur, principem non sine causa ferre gladium, et Petrus apostolorum primus non solum regem praecellere, verum duces ab eo mittendos esse, clamet, ad vindictam videlicet malorum, ad laudem vero bonorum. Ad quorum igitur satisfactionem visum est ipsi gloriosissimo regi principibusque ejus justum, ut judicium episcoporum divinae animadversionis sententia gladium materialem in ipsum Hildebrandum praecederet, ut quem praesules ecclesiarum prius a superba praelatione deponerent, eundem postmodum regalis potentia licentius persequendum decerneret. Quis ergo fidelium qui illum novit, damnationis jaculum contra ipsum metueret intorquere, qui ab ineunte aetate mundo se studuit per inanem gloriam nullis suffragantibus meritis supra hominem commendare, et somnia et divinationes proprias et aliorum divinae dispositioni praeponere, habitu monachus videri, et professione non esse ecclesiasticae dis-

ciplinae, nulli subditus magistro, se extorrem judicare, obscoenis theatralibus ludicris ultra laicos insistere, mensas numulariorum in porticu transeuntium turpis lucri gratia publice observare? His itaque quaestibus pecunia cumulata, abbatiam beati Pauli invasit, supplantato abbate; inde arripiens archidiaconatum, quendam nomine Mancium ut sibi officium venderet, decipiendo seduxit; et, Nicolao papa nolente, tumultu populari stipatus in oeconomum se promoveri coegit. Quatuor namque Romanorum pontificum super improba morte per manus cujusdam sibi intimi Johannis scilicet Brachinti, propinato veneno, homicida extitisse convincitur, ut, caeteris tacentibus, ipse minister mortis, urgente mortis articulo, diris clamoribus, licet sero poenituerit, testabatur. Hic denique saepe dictus pestifer ipsa nocte qua funus Alexandri papae in basilica Salvatoris exequiarum officio fovebatur, portas Romanae urbis et pontes, turres, et triumphales arcus, armatorum cuneis munivit, Lateranense palatium militia comparata hostiliter occupavit, clerum ne auderet contradicere, cum nullus eum vellet eligere, gladiis satellitum evaginatis mortem minando perterruit, et prius, obsessam diu, assiliit cathedram, quam corpus defuncti obtineret tumbam. Dum vero quidam ex ipsis decretum Nicolai papae 125 episcopis sub anathemate promulgatum, eodem Hildebrando laudante ad memoriam sibi vellent reducere, quod si quis sine assensu Romani principis papari praesumeret, non papa, sed apostata ab omnibus haberetur, negavit se regem uspiam scire, et se posse, asseruit, sententiam praedecessorum vacuum judicare. Quid plura? Non solum quidem Roma, sed ipse Romanus orbis testatur, illum non a Deo fuisse electum, sed a se ipso vi, fraude,

pecunia, impudentissime objectum, cujus fructus patefaciunt radicem, cujus opera manifestant intentionem, qui ecclesiasticum subvertit ordinem, qui christiani imperii perturbavit regimen, qui regi catholico ac pacifico corporis et animae intentat mortem, qui perjurum et proditorem defendit regem, qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, divortia inter conjuges, et, quicquid quieti inter pie viventes stares videbatur, concussit. Quapropter, ut praelibatum est, nos auctore Deo congregati in unum, legatis ac litteris freti 19 episcoporum die sancto praeteriti Pentecostes Mogontiae congregatorum contra eundem procacissimum Hildebrandum sacrilegia ac incendia praedicantem, perjuria et homicidia defendentem, catholicam atque apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini in quaestionem ponentem, haeretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum et somniorum cultorem manifestum, nicromanticum, phytonico spiritu laborantem, et id circo a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum, et expellendum, et nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum.

GREGORY VII. INVESTS ROBERT GUISCARD WITH SICILY (1080).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 426.]

a) *The Oath taken by Robert.*

Ego R(obertus), Dei gratia et sancti Petri Apuliae et Calabriae et Siciliae dux, ab hac hora et deinceps ero fidelis sanctae Romanae ecclesiae et apostolici sedi et

tibi domino meo Gregorio universali papae. In consilio vel facto, unde vitam aut membrum perdas vel captus sis mala captione, non ero. Consilium, quod mihi credideris, et contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo ad tuum damnum me sciente. Sanctae Romanae aecclesiae tibique adjutor ero ad tenendum acquirendum et defendendum regalia sancti Petri ejusque possessiones pro meo posse contra omnes homines — excepta parte Firmanae marchiae et Salerno atque Amalfi, unde adhuc facta non est difinitio, — et adjuvabo te, ut secure et honorifice teneas papatum Romanum. Terram sancti Petri, quam nunc tenes vel habiturus es, postquam scivero tuae esse potestatis, nec invadere nec adquirere quaeram nec etiam depraedari praesumam absque tua tuorumque successorum, qui ad honorem sancti Petri ordinati fuerint, certa licentia, praeter illam quam tu michi concedes vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra sancti Petri, quam ego teneo aut tenebo, sicut statutum est, recta fide studebo, ut illam annualiter sancta Romana habeat ecclesia. Omnes quoque aecclesias, quae in mea persistunt dominatione, cum earum possessionibus dimittam in tua potestate; et defensor ero illarum ad fidelitatem sanctae Romanae aecclesiae. Et si tu vel tui successores ante me ex hac vita migraveritis, secundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus, clericis Romanis et laicis, adjuvabo, ut papa eligatur et ordinetur ad honorem sancti Petri. Haec omnia supra scripta observabo sanctae Romanae aecclesiae et tibi cum recta fide. Et hanc fidelitatem observabo tuis successoribus, ad honorem sancti Petri ordinatis, qui michi si mea culpa non remanserit, firmaverint investituram a te mihi concessam. [Sic me Deus adju-

vet et haec sancta evangelia.] Actum Ciperani 3 Kalendas Julii.

b) *The Investiture.*

Ego Gregorius papa investio te, Roberte dux, de terra, quam tibi concesserunt antecessores mei sanctae memoriae Nicolaus et Alexander. De illa autem terra, quam injuste tenes, sicut est Salernus et Amalfia et pars marchiae Firmane, nunc te patienter sustineo in confidentia Dei omnipotentis et tuae bonitatis: ut tu postea exinde ad honorem Dei et sancti Petri ita te habeas, sicut et te agere et me suscipere decet sine periculo animae tuae et meae. Actum ut supra.[1]

c) *The Yearly Tribute* [*Pensio*].

Ego Robertus, Dei gratia et sancti Petri Apuliae et Calabriae et Siciliae dux, ad confirmationem traditionis et ad recognitionem fidelitatis de omni terra, quam ego teneo proprie sub dominio meo, et quam adhuc nulli ultramontanorum ita concessi ut teneat, promitto: me annualiter pro unoquoque jugo boum pensionem duodecim scilicet denarios Papiensis monetae, persoluturum beato Petro et tibi domino meo Gregorio papae et omnibus successoribus tuis, aut tuis aut successorum tuorum nunciis. Hujus autem pensionariae redditionis erit semper terminus, finito quoque anno, sanctae resurrectionis dies dominicus. Sub hac vero condicione hujus persolvende pensionis obligo me et meos sive heredes sive

[1] In 1156 Hadrian IV. invested William with following ceremony: [Watterich, Vitae Rom. Pontif. II. 351.]

successores tibi domino meo Gregorio papae et successoribus tuis.

GREGORY VII. SUMMONS ROBERT GUISCARD (1082?).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., II. 491.]

Gregorius episcopus servus servorum Dei R(oberto) glorioso duci salutem et apostolicam benedictionem.

Quod gesti belli proventum et adeptae victoriae palmam nobis et Romanis notificasti, id, quod decuit, prudenti consilio usus egisti; ut res, quam ex voto amicorum gloriose obtinueras, ipsorum congratulationibus gloriosior tibi redderetur atque jocundior. Oportet interea te illum alta memoria figere, cujus favore et auxilio non ambigis res tuas jam dudum procedere. Nam sicut ingratitudo provocat indignationem, ita devotio incunctanter accumulat gratiam. Quapropter beatum Petrum, cujus tibi adesse patrocinium grandia facta testantur, prae oculis habere semper memineris, ejusque beneficiis cum necesse est gratam vicem rependens, ipsum de cetero velut debitorem efficere tibi procurato; de quo nimirum eo magis praesumere poteris, quo amplius obsequiis illum tibi quasi obnoxium astrinxeris. Memento itaque matris tuae sanctae Romanae ecclesiae, quae de te inter ceteros principes specialiter confidit, ut te peculiariter diligit. Memento, quod sibi promisisti.

Hadrianus Papa cum cardinalibus suis ad ecclesiam sancti Marciani, quae prope Calorem fluvium sita est, veniens regem Guilielmum ad pedes suos humiliter accedentem benigne recepit. Qui facto juramento, ut moris est, ligius homo Papae devenit et Papa ipsum per unum vexillum de regno Siciliae, per aliud de ducatu Apuliae, per tertium de principatu Capuae investivit.

Et quod pollicitus es — cui, etiam non promittens, ex jure christianitatis debes — adimplere, cum promiseris, non ulterius differas. Non enim ignoras quanta perturbatio contra eam per Heinricum dictum regem sit orta; quantumque tuo, qui suus es filius, auxilio indigeat. Age ergo, ut, quantum studet filius iniquitatis adversari, non minus debeat de tuae devotionis opitulatione mater ecclesia gratulari.

Dubitavimus hic sigillum plumbeum ponere, ne, si illud inimici caperent, de eo falsitatem aliquam facerent.

HENRY V. AND PASCHAL II. (1111).

a) *The Privilege of Feb.* 12, 1111. (*Privilegium primae conventionis.*)

[M. G. H., LL. II. 68 sq.]

P(aschal) episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Heinrico ejusque successoribus, in perpetuum. Et divine legis institutione sanccitum est, et sacratis canonibus interdictum, ne sacerdotes curis secularibus occupentur, neve ad comitatum, nisi pro dampnatis eruendis, aut pro aliis qui injuriam patiuntur accedant. Unde et apostolus Paulus: Secularia judicia, inquid, si abueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad judicandum. In regni autem vestri partibus, episcopi, vel abbates adeo curis secularibus occupantur, ut comitatum assiduae frequentare et militiam exercere cogantur. Que nimirum aut vix aut nullomodo, sine rapinis, sacrilegiis, incendiis, exhibentur. Ministri enim altaris, ministri curie facti sunt; quia civitates, ducatus, mar-

chias, monetas, et cetera ad regni servitium pertinentia acceperunt. Unde etiam mos inolevit ecclesiae intollerabiliter, ut episcopi electi nullomodo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam investirentur. Qua ex causa et symoniace heresis pravitas, et ambitio nonnunquam tanta prevaluit, ut nulla electione premissa episcopales cathedre invaderentur. Aliquando etiam vivis episcopis investiti sunt. His et aliis plurimis malis, que per investituras plerumque contingerant, predecessores nostri, Gregorius VII., Urbanus II. felicis memorie pontifices excitati, collectis frequenter episcopalibus conciliis, investituras illas manus laice dampnaverunt, et qui per eas obtinuissent ecclesias deponendos, donatores quoque communionem privandos percensuerunt; justa illut apostolicorum canonum capitulum quod ita se abet: Si quis episcopus seculi potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant. Quorum vestigia subsequentes, et nos eorum sententiam episcopali concilio confirmavimus. Tibi itaque fili karissime rex Heinrice, et nunc per officium nostrum Dei gratia Romanorum imperator, et regno regalia dimittenda precipimus, que ad regnum manifeste pertinebant, tempore Karoli, Lodoicy, et ceterorum predecessorum tuorum. Interdicimus et sub anathematis districtionem proibemus, ne quis episcoporum seu abbatum, presentim vel futurorum, eadem regalia invadant. Id est, cyvitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, advocatias regni, jura centurionum, et curtes que manifeste regni erant, cum pertinentiis suis, militia et castra regni. Nec se deinceps, nisi gratia regis, de ipsis regalibus intromittant. Set nec posteris nostris liceat qui

post nos in apostolica sede successerint, te, aut regnum super hoc inquiaetare negotio. Porro, ecclesias cum oblationibus et hereditariis possessionibus, que ad regnum manifeste non pertinebant, liberas manere decernimus, sicut in die coronationis tuae in conspectu totius ecclesiae promisisti. Oportet enim episcopos curis secularibus expeditos, curam suorum agere populorum, nec ecclesiis suis abesse diutius. Ipsi enim juxsta apostolum Paulum pervigilant, tamquam rationem pro animabus aeorum redditury.

b) *The Privilege of April* 12, 1111. (*Privilegium secundae conventionis.*)

[M. G. H., LL. II. 72.]

P. episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Christo filio H. glorioso Teutonicorum regi, et per Dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori augusto, salutem et apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctae Romanae ecclesiae singulariter coherere, dispositio divina constituit. Predecessores vestri probitatis et prudentie amplioris gratia Romane urbis coronam et imperium consecuti sunt. Ad cujus videlicet coronae et imperii dignitatem, tuam quoque personam fili karissime, H. per nostri sacerdotii ministerium majestas divina provexit. Illam igitur dignitatis prerogitivam, quam predecessores nostri predecessoribus tuis catholicis imperatoribus concesserunt, et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuae concedimus, et presentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis vel abbatibus libere preter symoniam, et violentiam electis, investituram virgae et anuli conferas.

Post investitionem vero canonicam consecrationem accipiant ab episcopo ad quem pertinuerint. Si quis autem a clero et populo preter tuum assensum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Sane episcopi et archiepiscopi libertatem habeant, a te investitos episcopos vel abbates canonice consecrandy. Predecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum maxime episcoporum presidiis vel abbatum oporteat communiri, populares dissensiones, que in electionibus sepe contingunt, regali oporteat majestate compesci. Quam ob rem prudentiae et potestatis tuae cura debet sollicitius imminere, ut Romane ecclesie magnitudo, et ceterarum salus prestante Domino beneficiis potioribus conservetur. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostre concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire temptaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis periculum patiatur. Observantes autem misericordia divina custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem et gloriam suam feliciter imperare concedat. Amen.

LATERAN COUNCIL ANNULS PRIVILEGE OF APRIL 12, 1111 (March 18, 1112).

[M. G. H., LL. II. a, 181.]

Anno ab incarnatione Domini 1112. indic. 5. anno 13. pontificatus dicti pontifici, mense Martio, 15. Kalendas Apriles, celebratum est concilium Romae, Lateranis, in basilica Constantiniana, in quo cum dominus Pascha-

lis papa resedisset cum archiepiscopis et episcopis, et cardinalibus et abbatibus, et varia multitudine clericorum et laicorum, ultima die concilii, facta coram omnibus professione catholice fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: "Amplector omnem divinam scripturam, scilicet veteris et novi testamenti, legem a Moyse scriptam, et a sanctis prophetis. Amplector quatuor evangelia, septem canonicas epistolas, epistolas gloriosi doctoris beati Pauli apostoli, sanctos canones sanctorum apostolorum, quatuor universalia concilia, sicut quatuor evangelia, Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Calcedonensem, et Antiochenum concilium, et decreta sanctorum patrum, Romanorum pontificum, et precipue domini mei pape Gregorii VII, et beati memorie pape Urbani secundi. Que ipsi laudaverunt, laudo; que tenuerunt, teneo; que confirmaverunt, confirmo; que dampnaverunt, dampno; que reppulerunt, repello; que interdixerunt, interdico; que proibuerunt, proibeo; in omnibus et per omnia; et in his semper perseverabo." Quibus expletis, surrexit pro omnibus Girardus Ingolismensis episcopus, legatus in Aquitania, et communi assensu domini Paschalis pape totiusque concilii coram omnibus legit hanc scripturam: "Privilegium illud quod non est privilegium, sed vere debet dici privilegium, pro liberatione captivorum et ecclesie a domino papa per violentiam Heinrici regis extortum, nos omnes in hoc sancto concilio cum domino Paschali papa congregati, canonicam censuram, et ecclesiastica auctoritate judicio sancti Spiritus dampnamus, et irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, et ne quid auctoritatis et efficacitatis abeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo dampnatum est, quia in

eo privilegio continetur, quod ellectus canonice a clero et populo a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem.

Perlecta vero hac carta, acclamatum est ab universo concilio: "Amen! Amen! fyad! fiad!"

THE CONCORDAT OF WORMS.

a) *The Concessions of Calixtus II.*

[M. G. H., LL. II. 75.]

Ego Calixtus episcopus servus servorum Dei, tibi dilecto filio H. Dei gratia Romanorum imperatori augusto, concedo electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in presentia tua fieri, absque symonia, et aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialium consilio vel judicio, Saniori parti assensum et auxilium prebeas. Electus autem regalia, absque omni exactione, per sceptrum a te recipiat, et que ex his jure tibi debet faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus, infra sex menses, regalia absque omni exactione per sceptrum a te recipiat, et que ex his jure tibi debet faciat. Exceptis omnibus que ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris, et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi prestabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore hujus discordiae.

b) *The Concessions of Henry V.*

[Mitt. des Inst. f. öst. Gesch., VI. 105, as quoted in Doeberl, M. G. S., III. 60.]

In nomine sancte et individue trinitatis Ego, Heinricus, Dei gratia Romanorum Imperator augustus, pro amore dei et sancte Romane ecclesie et domini Pape Calixti, et pro remedio anime mee dimitto deo et sanctis dei apostolis Petro, et Paulo, sancteque catholice ecclesie, omnem investituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis que in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et regalia beati Petri que a principio huius discordie usque ad hodiernam diem sive tempore patris mei sive etiam meo ablata sunt, que habeo, eidem sancte Romane ecclesie restituo, que autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam aliarum omnium ecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum que in werra ista amisse sunt, consilio principum vel justicia que habeo reddam, que non habeo ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem domino Pape Calixto, sancteque Romane ecclesie et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt, et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo, et de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam justiciam. Hec omnia acta sunt consensu et consilio principum, quorum nomina subscripta sunt: Adelbertus archiepiscopus Moguntinus F. Coloniensis archiepiscopus, H. ratisbonensis episcopus, O. bavenbergensis episcopus, B. spirensis episcopus, H. augustensis, G. trajectensis, Ou. constantiensis, E. abbas w(u)ldensis, Heinricus dux,

Fridiricus dux, S. dux, Pertolfus dux, Marchio Teipoldus, Marchio Engelbertus, Godefridus Palatinus, Otto Palatinus comes, Beringarius comes.

Ego Fridericus, coloniensis archiepiscopus et archicancellarius recognovi.

LOTHAR III. PLACES ANALEK II. UNDER THE BAN (1133).

[M. G. H., LL. II. 81.]

Lotharius Dei Gratia Romanorum rex, regibus, archiepiscopis, episcopis, principibus, et universis Dei fidelibus, ad quos litterae istae pervenerint, salutem.

Majestatis divinae dispensationi et consilio placuit nos patronum ac defensorem sanctae ecclesiae Romanae statuere, ideoque necesse habuimus pro ipsius liberatione propensius laborare. Cum igitur ascitis nobis archiepiscopis, episcopis et abbatibus, principibus, ducibus, comitibus et marchionibus regni nostri; episcopos etiam, comites, et alios barones Italiae nobiscum ducentes, bellico apparatu stipati, ad Urbem profisceremur, nuntios schismatici illius Petri Leonis frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius iustitiam praetendentes, ipsi in jus ire parato non debere audientiam denegari, nec hostilibus impugnationibus molestari, publicis clamoribus asserebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, idipsum episcopis et cardinalibus, qui cum domno papa Innocentio erant, significare coacti sumus. Ipsi vero, tamquam canonicarum sanctionum et institutionum ecclesiasticarum non ignari, universam

Dei ecclesiam jam super hoc promulgasse sententiam, Petrum Leonis ac complices suos damnasse asserentes, quod erat universitatis non debere privatum fieri responderunt.

Nos autem idipsum cum patientia supportantes, et patrem nostrum papam Innocentium ad Urbem cum gloria duximus, et Lateranensi cathedrae restituimus, atque in monte Aventino castrametati fuimus. Ibique Petrus Leonis aures nostras, et principum nostrorum, per Petrum olim Portuensem episcopum, et per alios fautores suos praetendendo justitiam, sollicitare non destitit. Qui etiam, munitiones et obsides se nobis daturos ad sufficientiam pro servando judicio, et viva voce et litteris promiserunt. Pacem igitur sine effusione sanguinis reformare in Dei ecclesia cupientes, quae nobis illi dixerant, fratribus qui cum domno papa Innocentio erant per nos ipsos significavimus. Caeterum ipsi, utpote pacis amatores, de justitia confidentes, tam personas suas, quam Leonis, et filiorum suorum, necnon Centii, Petri Fraiapanis, et Petri Leonis, et munitiones in manu nostra libere obtulerunt. Adversa vero pars dies redimere cupiens, sub velamine fraudulentarum promissionum nos aliquanto tempore a nostra intentione retraxit. Tandem quia ipsi saepe commoniti, implere quod promiserant noluerunt, tamquam fallaces et perfidi, et tam divinae quam regiae majestatis rei, cum Petro Leonis eiusque complicibus damnati sunt, et hostes a principibus nostrae curiae judicati, videlicet Nortberto Magdeburgensi cancellario nostro, et A. Bremensi archiepiscopis et D. Osembergensi, B. Padelbronnensi, An. Brandenburgensi, et B. Parmensi, R. Albensi, O. Astensi, O. Cremonensi, G. Yporiensi, episcopis,

et abbatibus, Henrico Fuldensi, Alberone Noemburgensi, et Luneburgensi: proceribus, Alberone et Henrico marchionibus, Othone, Sigifredo vexillifero, Herimanno, Wilhelmo de Lomello, Gothone de Marchuingo, Hildebrando, et Tancredo de Prato comitibus, et Alberto de Castello.

INVESTITURE PRIVILEGE GRANTED BY INNOCENT II. TO LOTHAR III. (1133).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., V. 522 sq.]

. . . m(ultipl)iciter ecclesiam filiali affectione diligere et eam a pravorum hominum infestatione m . . . . . (ad) apostolicae sedis sollicitudinem spectare cognoscitur, ut ad exaltationem regni et decorem imperii diligenter invig(ilare) . . . in . . . (r)obore cooperante Domino, satagat custodire. Ceterum personae tuae probabilis in fide catholica firmitas et perseverans in (Dei) amore constancia sanctam ecclesiam Romanam eo magis sibi fecit obnoxiam, quo te ferventius, a longis retro temporibus operibus pietatis insist(entem) tantum laborem pro scismaticorum contritione et liberatione fidelium evidentibus indiciis assumpsisse conspicimus.

Hac itaque ratione inducti (et ex) sublimatione tua fructum maximum sperantes catholicae ecclesiae et christiano populo proventurum, cognita fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium (atque) nobilium Romanorum prompta voluntate atque consilio, te, christianissimum principem et inter speciales beati Petri filios unicum ac praecipuum def(ensorem) ad imperii fastigia, invocata Spiritus sancti gratia, sublimavimus.

Nos igitur majestatem imperii nolentes minuere sed augere, imperatoriae dignitati(s plenitu)dinem tibi concedimus et debitas et canonicas consuetudines praesentis scripti pagina confirmamus.

Interdicimus autem, ne quisquam eorum, quos in Teut(onico) regno ad pontificatus honorem vel abbatiae regionem evocari contigerit, regalia usurpare vel invadere audeat, nisi eadem prius a tuo (potes)tate deposcat, quod [atque] ex his, quae jure debet tibi, tuae magnificentiae faciat. Data Laterani 6. idus Junii.

PRIVILEGE GRANTED LOTHAR III. BY INNOCENT II., IN REGARD TO THE ESTATES OF MATILDA (1133).

[Theiner; Cod. dom. temp., I. 12; as printed by Doeberl, M. G. S., IV. 17.]

Si auctoritas sacra pontificum et potestas imperialis vere glutino caritatis adinvicem complerentur, omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, et christianus populus grata pace et tranquillitate gaudebit: nichil enim in presenti seculo est pontifice clarius, nichil rege sublimius. Nichil est, quod lumine clariore perfulgeat quam recta fides in principe: nichil est, quod ita nequeat occasui subjacere quam vera religio. Que nimirum omnia tanto manifestius, deo gratias, in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte etate amator religionis et cultor justicie extitisse cognosceris, et novissime diebus istis nec persone tue nec proprie parcendo pecunie pro beati Petri servitio multos labores et immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impertire: dig-

num profecto est, ut nos, qui disponente domino universis catholice ecclesie filius debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam artius diligamus, et tanquam specialissimo ecclesie defensori in his, que ad statum imperii in suo robore conservandum et utilitatem ac libertatem catholice ecclesie spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium quam temporaliter imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu allodium bone memorie Comitisse Mattilde, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, et ex apostolice sedis dispensatione concedimus, atque in presentia fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, necnon principum et baronum per anullum investivimus, ita videlicet ut C. libras argenti singulis annis nobis et successoribus nostris exsolvos, et post tuum obitum proprietas ad jus et dominium sancte Romane ecclesie cum integritate absque diminutione ac molestia revertatur. Quod si nos vel fratres nostros in eandem terram venire, manere vel transire oportuerit, tam in susceptione, quam in procuratione atque securo conductu, prout apostolica sedes decreverit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel Rector terre fuerit, beato Petro et nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro caritate vestra nobili viro Henrico Bawarie duci, genero vestro, et filie vestre, uxori ejus, eandem terram cum prefato censu et supradictis conditionibus apostolica benegnitate concedimus: ita tamen ut idem dux nobis hominium faciat, et fidelitatem beato Petro ac nobis nostrisque successoribus juret: post quorum obitum predictum Comitisse Mattilde allodium ad jus et dominium sancte

Romane ecclesie, sicut supra dictum est, integrum et absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur. Salvo tamen semper in omnibus ejusdem sancte Romane ecclesie jure ac proprietate. Datum Laterani VI. Idus Junii.

IV. THE HOHENSTAUFEN PERIOD.

FREDERICK I. ANNOUNCES HIS ELECTION TO EUGENE III. (1152).

[Jaffé; Bib. Rer. Ger., I. 499.]

Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici Fredericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Patrem patriae decet, veneranda priscorum instituta regum vigilanter observare et sacris eorum disciplinis tenaci studio inherere, ut noverit regnum sibi a Deo collatum legibus ac moribus non minus adornare quam armis et bello defensare. Sollemnem itaque imperii Romani morem a proavis nostris, imperatoribus videlicet et regibus, ad nos transmissum sequentes, legatum nostrum, virum scilicet discretum et honestum, E(berhardum) venerabilem Bavenbergensem episcopum, adjunctis sibi H(illino) Trevirensi electo et A(damo) Everacensi abbate, ad vestrae sanctitatis presentiam et ad urbem destinare curavimus, ut tam ex presentis paginae indicio quam ex ipsorum viva voce de nostris provectibus et totius aecclesiae ac regni statu certiores esse possitis.

Itaque, quando placuit terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae, in cujus manu sunt omnium potestates et omnium jura regnorum, felicis memoriae patruum ac nutritorem nostrum, gloriosum Romanorum regem C(onradum) de presenti vita evocare, universi principes regni, tamquam divino spiritu suscitati, 17 die post depositionem ejus in oppidum Frankenevurt tam per se ipsos quam per responsales honoratos convenerunt, et absque ullius morae interjecto spacio eadem die cum ingenti divinitus data concordia ipsi principes et caeteri proceres cum totius populi favore et alacritate nos in regni fastigium elegerunt. Quinta postmodum die, id est transacta proxime mediante quadragesima, pari et eodem concensu cum benivola populi acclamatione in oppido Aquisgrani nos per sacratissimas devoti filii vestri A(rnoldi) Coloniensis metropolitani et venerabilium episcoporum manus oleo sanctificationis regaliter unxerunt et in solio regni cum benedictione sollempni collocaverunt. Nos vero in multiplicibus regiae dignitatis ornamentis, quibus partim per laicorum principum obsequia partim per reverendas pontificum benedictionis vestiti sumus, regium animum induimus, tota mentis virtute intendentes, ut juxta professionis nostrae formulam, quam ab orthodoxis presulibus in ipso regni throno et unctione sacra accepimus: honorem vobis et dilectionem, et sacrosanctae matri nostre Romanae aecclesiae et omnibus ecclesiasticis personis promptam et debitam justiciam ac defensionem exhibeamus, viduis ac pupillis et universo populo nobis commisso legem et pacem faciamus et conservemus.

Cum enim duo sint, quibus principaliter hic mundus

regitur, videlicet auctoritas sacra pontificum et regalis potestas, omnium Christi sacerdotum oboedientiae devoti colla submittere parati sumus, ut propitia divinitate temporibus nostri principatus verbum Dei expedite currere non prohibeatur et paternas regulas ac decreta sanctissimis diffinita conciliis nullus audeat absque penae gravioris vindicta violare; quatinus per studii nostri instantiam catholica ecclesia suae dignitatis privilegiis decoratur et Romani imperii celsitudo in pristinum suae excellentiae. Deo adjuvante reformetur.

Et quoniam beatitudinis vestrae animum de obitu predicti serenissimi principis scimus non immerito perturbatum, vobis tanquam patri karissimo constanter promittimus, quod, sicut eidem glorioso quondam regi in regni solio successimus, ita hereditariam dilectionem tam ad vestram personam omnino specialem quam ad sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae promptissimam ac devotissimam defensionem suscepimus; hac scilicet ordinis ratione, ut, quaecumque ad liberationem et honorationem apostolicae sedis intenderat et ordinaverat, nos constanter perficere studeamus, ita ut, juxta felicem ad sanctum virum Domini promissionem, inimicis vestris inimici simus et odientes vos affligamus.

Sane prenominatos legatos nostros benignitati vestrae attente committimus, ut eos pro nostrae dilectionis intuitu benigne tractetis et in suis petitionibus clementer exaudiatis; intime etiam rogantes, ut domnum abbatem de Evera, nobis tam in divinis quam in humanis rebus necessarium, liberum nobis remittatis.

THE TREATY OF CONSTANCE (1153).

[M. G. H., LL. II. 93. The text here given is that of Theiner, Cod. dom. temp. s. Sedis, I. 15, as reprinted in Doeberl, M. G. S., IV. 79 sq.]

Venerabili in Christo patri Eugenio dei gratia Apostolice Sedis Pontifici, Fredericus dei gratia Romanorum Imperator Augustus, filialem dilectionem et debitam in Christo reverentiam. Regie majestatis dignitas postulat, que ad pacis et concordie bonum spectare noscuntur, attenta sollicitudine stabilire, et ut inter regnum et sacerdotium indissolubili caritate bonum ipsum perpetuo perseveret, diligenti studio et exacta diligentia laborare. Hujus itaque rationis prospectu concordiam inferius annotatem, que inter nos et vos, auctore deo, statuta est, sicut ab utraque parte stabilita est et ordinata, ne aliquid arbitrio nostro immutasse videamur, per eadem verba presentis serie scripti precepimus annotari.

In nomine Domini Amen. Hec est concordie forma et conventionis inter dominum papam Eugenium et dominum Federicum Romanorum imperatorem, constituta mediantibus Gregorio sancte Marie Transtiberim, Hubaldo sancte Praxedis, Bernardo sancti Clementis, Octaviano sancte Cecilie, Rollando sancti Marci, Gregorio sancti Angeli, Guidone sancte Marie in Porticu et Brunone Abbate de Claravalle ex parte domini pape; Anselmo vero Avelbergensi, Hermanno Constantiensi Episcopis, Olderico de Zenzburch, Guidone Guerra et Guidone Blandratensi Comitibus ex parte domini Regis. Dominus siquidem Rex unum de majoribus ministratibus regni faciet in anima regis jurare, et ipse propria manu data fide in manu Legati domine pape promisit, quod

ipse nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum Rogerio Sicilie sine libero consensu et voluntate Romane ecclesie, et Domini pape Eugenii vel successorum suorum, qui tenorem subscripte concordie cum eodem Frederico tenere voluerint, et pro viribus laborabit Romanos subjugare domino pape, sicut melius umquam fuerunt a centum retro annis. Honorem papatus et regalia beati Petri sicut devotus et specialis advocatus sancte Romane ecclesie contra omnes homines pro posse suo conservabit et defendet, que nunc habet; que vero nunc non habet, recuperare pro posse juvabit, et recuperata defendet. Grecorum quoque regi nullam terram in ista parte maris concedet; quod si forte ille invaserit, pro viribus regni, quanto citius poterit, ipsum eicere curabit. Hec omnia faciet et observabit sine fraude et malo ingenio.

Dominus vero papa apostolice auctoritatis verbo una cum predictis Cardinalibus in presentia prescriptorum legatorum domini Regis promisit et observabit, quod eum sicut karissimum beati Petri filium honorabit, et venientem pro corone sue plenitudine sine difficultate et contradictione, quam cum imperio est, Imperatorem coronabit, et ad manutendum atque augendum et dilatandum honorem imperii pro debito officii sui juvabit; et quicumque justitiam et honorem Regni conculcare aut subvertere ausu temerario presumpserint, dominus papa a regie dignitatis dilectione premonitus eos ad satisfactionem canonice commonebit; quod si regi ad apostolicam ammonitionem de jure et honore regio justitiam exhibere contempserint, excommunicationis sententia innodentur. Regi etiam Grecorum ex ista parte maris terram non concedet; quod si ille invadere presump-

serit, dominus papa juribus beati Petri eum rejicere curabit.

Hec omnia ex utraque parte sine fraude et malo ingenio servabuntur, nisi forte libero et communi consensu utriusque immutentur. Testes autem, quorum nomina subscripta videntur, Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, Hermannus Constantiensis episcopus, Anselmus Avelbergensis episcopus, Ardicio Cumanus episcopus (Adalgottus) Curiensis episcopus, Wilbaldus Stabulensis Abbas, Albertus Coloniensis decanus, Magister Henricus notarius, Gottifredus Viterbiensis Capellanus regis; ex laicis quoque Welpho dux, Marchio Hermannus de Baden, Comes Ulricus de Lenzburch, Comes Wernerus de Lensburch, Anselmus Camerarius et ministerialis regis.

Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Arnoldus Cancellarius recognovi.

Datum Constantie X. Kal. Aprilis, Indictione XV. anno dominice incarnationis MCLII. regnante domino Frederico Romanorum rege glorioso, anno vero Regni ejus primo.

THE AFFAIR OF BESANÇON (1157).

[Rahewini Ges. Frid. Imp., III. (Ed. Waitz in Scriptores Rer. Ger.)].

a) *Letter of Hadrian IV.*

9. Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Friderico, illustri Romanorum imperatori, salutem et apostolicam benedictionem. Imperatoriae majestati paucis retroactis diebus recolimus nos scripsisse, illud

horrendum et execrabile facinus et piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intemptatum, excellentiae tuae ad memoriam revocantes, nec sine grandi ammiratione ferentes, quod absque digna severitate vindictae usque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. Lundenensis archiepiscopus, dum a sede apostolica remearet, a quibusdam impiis et scelestis, quod sine grandi animi merore non dicimus, in partibus illis captus fuerit et adhuc in custodia teneatur, qualiter etiam in ipsa captione predicta viri impietatis, semen nequam, filii scelerati, in eum et in suos evaginatis gladiis violenter exarserint et eos, ablatis omnibus, quam turpiter atque inhoneste tractaverint, et tua serenissima celsitudo cognoscit, atque ad longinquas et remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is cui bona placere, mala vero displicere credimus, constantius exurgere debuisti, et gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessas, in cervicem desevire oportuit impiorum et gravissime conterere presumptores. Tu vero ad ipsum ita dissimulasse diceris, seviciam neglexisse, quod eosdem non est quare peniteat commisisse reatum, quia [se] inpunitatem sacrilegii quod gesserunt jam jam sentiunt invenisse. Cujus quidem dissimulationis et neglegentiae causam penitus ignoramus, quoniam nos in aliquo serenitatis tuae gloriam offendisse, conscientiae scrupulus nostrum animum non accusat, sed personam tuam sicut karissimi et specialis filii nostri et principis christianissimi, quem in apostolicae confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam

solidatum, sincera semper dileximus karitate et debitae tractavimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter et quam jocunde alio anno mater tua sacrosancta Romana aecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit et honoris, et qualiter imperialis insigne coronae libentissime conferens, benignissimo gremio suo tuae sublimitatis apicem studuerit confovere, nichil prorsus efficiens quod regiae voluntati vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen penitet nos tuae desideria voluntatis in omnibus implevisse, sed, si majora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes, quanta aecclesiae Dei et nobis per te incrementa possint et commoda provenire, non immerito gauderemus. Nunc autem, quia tam inmensum facinus, quod in contumeliam universalis aecclesiae et imperii tua noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris, suspicamur utique ac veremur, ne forte in hanc dissimulationem et negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione perversi hominis zizania seminantis adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam aecclesiam et nos ipsos indignationem, quod absit, aliquam conceperis vel rancorem. Ob hoc igitur et ob alia omnia negotia, quae cognoscimus imminere, duos de melioribus et carioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros, Bernhardum Sancti Clementis presbiterum cardinalem et Rolandum (tituli) Sancti Marci presbiterum cardinalem et cancellarium nostrum, viros utique religione et prudentia et honestate conspicuos, serenitati tuae de latere nostro ad presens duximus destinandos, excellen-

tiam tuam rogantes attentius, quatinus eos tam honorifice quam benigne recipias, honeste tractes, et ea quae ipsi super hoc et super aliis ad honorem Dei et sacrosanctae Romanae aecclesiae, ad decus etiam et exaltationem imperii pertinentia ex parte nostra imperatoriae proposuerint dignitati, sicut ab ore nostro procedant, absque ulla hesitatione suscipias et ipsorum verbis, tamquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

b) *Proclamation of Frederick I.*

11. Cum divina potentia, a qua omnis potestas in caelo et in terra nobis, christo ejus, regnum et imperium regendum commiserit, et pacem aecclesiarum imperialibus armis conservandam ordinaverit, non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestrae, quod a capite sanctae aecclesiae, cui Christus pacis ac dilectionis suae caracterem impressit, cause dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum manare videntur; de quibus, nisi Deus avertat, totum corpus aecclesiae commaculari, unitatem scindi, inter regnum et sacerdotium scisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in curia Bisuncii essemus et de honore imperii et salute aecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt legati apostolici, asserentes, se talem legationem nostrae afferre majestati, unde honor imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos, cum prima die adventus honorifice suscepissemus, et secunda, ut mos est, ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi, quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiae, de fastu arrogantiae, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem apostolicis litteris conscriptam nobis presentaverunt,

quorum tenor talis erat, quod pre oculis mentis semper deberemus habere, qualiter domnus papa insigne imperialis coronae nobis contulerit, neque tamen penitentia moveretur, si majora excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Haec erat illa paternae dulcedinis legatio, quae unitatem aecclesiae et imperii confovere debuit, quae vinculo pacis utrumque colligare studuit, quae ad utriusque concordiam et obedientiam animos audientium allexit. Certe ad vocem illam nefandam et omni veritate vacuam non solum imperialis majestas debitam indignationem concepit, verum omnes principes qui aderant tanto furore et ira sunt repleti, quod sine dubio illos duos iniquos presbiteros mortis sententia dampnassent, nisi hoc nostra intercepisset presentia. Porro quia multa paria litterarum apud eos reperta sunt et scedulae sigillatae ad arbitrium eorum adhuc scribendae, quibus, sicut actenus consuetudinis eorum fuit, per singulas aecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suae virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Urbem eos redire fecimus. Cumque per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit, qui in passione Christi filii sui duobùs gladiis necessariis regendum orbem subjecit, cumque Petrus apostolus hac doctrina mundum informaverit: 'Deum timete, regem honorificate,' quicumque nos imperialem coronam pro beneficio a domno papa suscepisse dixerit, divinae institutioni et doctrinae Petri contrarius est et mendacii reus erit. Quia vero actenus honorem ac libertatem aecclesiarum, quae jam diu indebitae se(r)vitutis jugo depressa est, a manu Egyptiorum studuimus eripere et

omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus, universitatem vestram super tanta ignominia nobis et imperio condolere rogamus, sperantes, ne honorem imperii, qui a constitutione Urbis et christianae religionis institutione ad vestra usque tempora gloriosus et imminutus extitit, fidei vestrae indivisa sinceritas tam inaudita novitate, tam presumptuosa elatione imminui paciatur, sciens, omni ambiguitate remota, quod mortis periculum ante vellemus incurrere, quam nostris temporibus tantae confusionis obprobrium sustinere.

c) *Letter of Hadrian IV., explaining his use of terms.*

23. Ex quo universalis aecclesiae curam, Deo, prout ipsi placuit, disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro et veneratione sedis apostolicae debuisset accendi. Unde sine grandi ammiratione non ferimus, quod cum, audito ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus et majoribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tituli Sancti Marci et Bernhardum tituli Sancti Clementis presbiteros cardinales, qui pro tuae majestatis honore in Romana aecclesia solliciti semper extiterant, pro voluntatis tuae cognitione ad tuam presentiam direximus, aliter quam imperialem decuerit honorificentiam sunt tractati. Occasione siquidem cujusdam verbi, quod est 'beneficium,' tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est 'beneficium,' apud quosdam in alia significatione, quam ex inpositione habeat, assumatur,

tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono et facto est editum, et dicitur beneficium aput nos non feudum, sed bonum factum; in qua significatione in universo Sacrae Scripturae corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei, non tamquam ex feudo, sed velut ex benedictione et bono facto ipsius gubernari dicimur et nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene et honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quod quidam verbum hoc et illud, scilicet: 'contulimus tibi imperalis coronae,' a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere, non ex merito causae, sed de voluntate propria et illorum suggestione, qui pacem regni et aecclesiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum 'contulimus' nil aliud intelligimus, nisi quod superius dictum est 'imposuimus.' Sane quod postmodum personas aecclesiasticas a debita sacrosanctae Romanae aecclesiae visitatione, ut dicitur, revocari jussisti, si ita est, quam inconvenienter actum sit, tua, fili in Christo karissime, discretio, ut credimus, recognoscit. Nam si aput nos aliquid amaritudinis habebas, per nuncios et litteras tuas nobis fuerat intimandum, et nos honori tuo curavissemus, sicut filii karissimi, providere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filii nostri Heinrici Baioariae et Saxoniae ducis duos de fratibus nostris, Heinricum tituli Sanctorum Nerei et Achillei [presbiterum] et Jacinctum Sanctae Mariae in Cosmidin diaconem cardinales, prudentes siquidem et honestos viros, ad tuam presentiam destinamus, celsitudinem tuam monentes et hortantes in Domino, quatinus

eos honeste ac benigne recipias, et quod ab eis ex parte nostra tuae magnificentiae fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante jam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te et matrem tuam sacrosanctam Romanam aecclesiam [ammodo] nullius discordiae seminarium debeat remanere.

THE RONCALIAN LEGISLATION.

[M. G. H., LL. II. 111 sq.]

a) *Concerning Regalia.*

Regalia sunt hec: Arimanie, vie publice, flumina navigabilia, et ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia que vulgo dicuntur thelonea, monete, mulctarum penarumque compendia, bona vacantia, et que indignis legibus auferuntur, nisi que spetialiter quibusdam conceduntur, et bona contrahentium incestas nuptias, et dampnatorum et proscriptorum secundum quod in novis constitutionibus cavetur, angariarum et parangariarum et plaustorum, et navium prestationes, et extraordinaria collatio ad felicissimam regalis numinis expeditionem, potestas constituendorum magistratuum ad justitiam expediendam, argentarie, et palatia in civitatibus consuetis, piscationum redditus, et salinarum, et bona committentium crimen majestatis, et dimisdium thesauri inventi in loco Cesaris, non data opera, vel in loco religioso; si data opera, totum ad eum pertinet.

b) *Law of fiefs.*

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus universis nostro subjectis imperio. Imperialem decet sollertiam ita rei publicae curam gerere et subjectorum commoda investigare, ut regni utilitas incorrupta permaneat, et singulorum status jugiter servetur illaesus. Quapropter, dum ex predecessorum more universali curiae Roncaliae pro tribunali sederemus, a principibus Italicis, tam rectoribus ecclesiarum quam aliis fidelibus regni, non modicas accepimus querelas, quod beneficia eorum et feuda, quae vasalli ab eis tenebant, sine dominorum licentia pignori obligaverant et quadam collusione nomine libelli vendiderant, unde debita servitia amittebant et honorem imperii nostraeque felicis expeditionis complementum minuebant. Habito igitur consilio episcoporum, ducum, marchionum et comitum, simul etiam palatinorum judicum et aliorum procerum, hac edictali lege, Deo propitio perpetuo valitura, sanccimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere vel pignorare vel quomodolibet alienare vel pro anima judicare sine permissione majoris domini ad quem feudum spectare dinoscitur. Unde imperator Lotharius tantum in futuro cavens, ne fieret, promulgavit; nos ad pleniorem autem regni utilitatem providentes, non solum in posterum, sed etiam hujusmodi prias illicitas alienationes perpetratas hac presenti sanccione cassamus et in irritum deducimus; nullius temporis prescriptione impediente, emptor bonae fidei de precio actionem habeat contra venditorem competentem. Callidis insuper quorumdam machinationibus obviantes, qui precio accepto quasi sub colore investiturae, quam

sibi licere dicunt, feuda vendunt et in alios transferunt, ne tale figmentum vel aliud ulterius in fraudem hujus nostrae constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus; plena auctoritate nostra statuentes, ut venditor et emptor, qui tam illicita contraxisse repertus fuerit, feudum amittat, et ad dominum libere revertatur; scriba vero, qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officii cum infamiae periculo manum amittat. Preterea, si quis infeudatus major 14 annis sua incuria vel sua neglegentia per annum et diem steterit, quod feudi investituram a primo domino non petierit, transacto hoc spacio, feudum amittat, et ad dominum redeat. Firmiter etiam statuimus tam in Italia quam Alemannia, ut, quicumque indicta publice expeditione vocatus a domino suo ad eandem expeditionem spatio competenti venire supersederit vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium reditus feudi unius anni domino non ministraverit, feudum, quod ab episcopo aut ab alio domino habet, amittat, et dominus feudi in usos suos illud redigendi omnibus modis habeat potestatem.

Preterea: ducatus, marchia, comitatus de caetero non divitatur; aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur, ita ut omnes qui partem feudi habent jam divisi vel dividendi fidelitatem domino faciant, ita tamen ut vassallus pro uno feudo plures dominos non compellatur habere, nec dominus feudum sine voluntate vassallorum ad alium transferat; insuper, si filius vassalli dominum offenderit, pater, a domino requisitus, adducat filium ad satisfaciendum domino vel a se filium separet, alioquin feudo privetur; si vero pater vult eum deducere, ut satisfaciat, filius autem contempnit, patre mortuo in

feudum non succedat, nisi prius domino satisfecerit; parique modo vassallus pro omnibus suis bonis domesticis faciat.

Illud quoque precipimus, ut, si vassallus de feudo alium vassallum habuerit, et vassallus vassalli dominum domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude antea habuit, feudo privetur, et ad dominum suum, a quo ipse tenebat, revertatur, nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere majori domino, quem offendit, et nisi vassallus idemque dominus, a domino suo requisitus, eum qui majorem dominum offendit requisierit, ut satisfaciat, feudum amittat.

Preterea si de feudo inter duos vassallos sit controversia, domini sit cognitio, et per eum controversia terminetur. Si vero inter dominum et vassallum lis oriatur, per pares curiae a domino sub debito fidelitatis conjuratos terminetur.

Illud quoque sanccimus, ut in omni sacramento fidelitatis imperator nominatim excipiatur.

THE DECISION OF THE COUNCIL OF PAVIA (1160).

[G. Waitz; Rahewini Ges. Frid. Imp., IV. c. 80.]

(Rahewin, IV. c. 52. Ea tempestate Adrianus papa in Kalendis Septemb. aput Anagniam diem clausit extremum et 2. Non. Septemb. in aecclesia beati Petri, presentibus clero, senatu populoque Romano, honorifice tumulatus est, regalibus nunciis adhuc ibidem existentibus. Post cuius obitum cardinales in seditionem conversi, gemina electione scindunt unitatem, quibusdam eligentibus Octavianum tituli Sanctae Cecilíae presbiterum cardinalem, cui nomen dederunt Victor, aliis Rolandum tituli Sancti Marci presbiterum

cardinalem et Romanae aecclesiae cancellarium, cui nomen imposuerunt Alexander.)

Quia sedis apostolicae turbatio Christianorum animos admodum sauciavit, nos, qui ad resecanda scismata et pacem aecclesiae reformandam Papiae fuimus congregati, qualitatem causae modumque negotii et sacri concilii dispensationem universitati vestrae plenarie duximus intimandum, quatinus, per scripta presentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam forte conceperant, vehementer expellant et ammodo per scripta scismatica non seducantur. Cum igitur orthodoxorum Papiae congregatorum universitas in nomine Domini consedisset, causa per 7 dies continuos, omni remoto seculari judicio, legittime et canonice agitata ac diligenter inspecta, sufficienter et canonice in conspectu concilii per testes idoneos est comprobatum: domnum papam Victorem et nullum alium in basilica beati Petri a saniori parte cardinalium petitione populi et consensu ac desiderio cleri fuisse electum et sollempniter inmantatum, quod, presente et non contradicente Rolando quondam cancellario, in kathedra beati Petri fuerit collocatus, et quod ibi ei a cardinalibus et clero Romano 'Te Deum laudamus' gloriose decantatum, et inde ad palatium cum bandis et aliis papalibus insignibus est deductus. Et clerus et populus secundum consuetudinem interrogatus per scriniarium, si placeret, tribus vicibus clara voce respondit: 'Placet.' Probatum est etiam, quod Rolandus 12 die post domni Victoris promotionem ab Urbe egressus, apud Cisternam, in qua Nero imperator quondam ab Urbe profugus latitavit, primo est inmantatus. Probatum est, quod in secundo die post promotionem domni Victoris Rolandus, interrogatus a

rectoribus cleri Romani ac clericis de sua cardinalia si domno Victori esset obediendum, expresse confessus est se numquam fuisse inmantatum et expresse dixit: 'Ite et obedite ei, quem inmantatum esse videtis.' Super his capitulis fuerunt testes et sub stola tactis sacrosanctis evangeliis juraverunt domnus Petrus Christianus decanus basilicae beati Petri et in persona sua et omnium fratrum suorum. Juraverunt etiam venerabiles archipresbiteri et rectores cleri Romani Blasius et Mainerius, presbiter Johannes, presbiter Gentilis, Aimeradus archipresbiter, Bernadus archipresbiter, Johannes archipresbiter, Benedictus diaconus, magister Tolomeus archipresbiter, magister Gerardus et Nicolaus et alii honesti clerici Romani. Preterea Petrus illustris Urbis prefectus, Stephanus de Thebaldo, Stephanus Nortmannus, Gimundus de domo Petri Leonis, Johannes de Stephano et alii principes et nobiles Romani, qui ad vocationem serenissimi imperatoris venerant, in conspectu concilii super jam dictis capitulis ex maxima parte testimonium similiter perhibuerunt et jurare voluerunt. Sed quia nos relligiosorum presbiterorum multorum testimonium sufficiens et habundantissimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles episcopi Herimannus Ferdensis, Daniel Bragensis et Otto palatinus comes et magister Heribertus prepositus, quos domnus imperator ex consilio 22 episcoporum et Cisterciensis et Clarevallensis abbatum aliorumque relligiosorum tunc presentium Romam delegaverat, ut partes ante concilii presentiam Papiam evocarent, in conspectu concilii testimonium perhibuerunt, quod Rolandum cancellarium et partem ejus trinis edictis per intervalla peremptorie et sollempniter ad presentiam aecclesiae Papiae congre-

gandae, remoto omni seculari judicio, vocaverunt, et quod Rolandus cancellarius et sui cardinales viva voce et ore proprio, judicium vel examen aliquod aecclesiae se nolle recipere, manifeste dixerunt. Vidimus etiam scripta Heinrici Pisani cardinalis ad domnum imperatorem directa, in quibus expresse continebatur, quod nullum vellent aecclesiae subire judicium vel examen. Super haec omnia idem Heinricus et Otto cardinalis Sancti Nycolai de Carcere Tulliano, qui tempore concilii et ante aput Januam morabantur, et Johannes Anagninus cardinalis et Johannes Piozutus sanctae Romanae aecclesiae subdiaconi, qui tunc aput Placentiam erant, per 8 dies a concilio toto sunt expectati et per litteras ac nuncios concilii sunt vocati, et contempserunt venire. Ex his igitur omnibus sufficienter instructi et veritate hinc inde plenarie declarata, placuit reverendo concilio, ut electio domni Victoris, qui tamquam agnus mansuetus et innocens venerat aecclesiae judicium humiliter suscepturus, approbaretur et confirmaretur, et electio Rolandi penitus cassaretur. Et factum est ita. Electione itaque domni Victoris, remoto omni seculari judicio, sancti Spiritus gratia invocata, confirmata et recepta, christianissimus imperator post omnes episcopos et post omnem clerum ultimus consilio et petione concilii electionem domni Victoris recepit et approbavit. Et post eum omnes principes et innumerabilis hominum multitudo quae presens erat, tribus vicibus interrogata, si eis placeret, respondit cum gaudio magna voce: 'Placet.' Sequenti die proxima, id est prima sexta feria quadragesimae, domnus Victor cum processione ab aecclesia Sancti Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat hospicium ejus, ad catholicam aecclesiam gloriose de-

ductus est. Ibi relligiosissimus imperator ante januas aecclesiae eum suscepit et descendenti de equo strepam humiliter tenuit et apprehensum per manum usque ad altare conduxit et pedes ejus osculatus, et nos omnes, patriarcha, archiepiscopi, episcopi et abbates et omnes principes cum universa multitudine, quae presens erat pedes apostolicas sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est sabbato, habito generali concilio, domnus papa et nos cum illo Rolandum cancellarium scismaticum et ejus principales fautores accensis candelis anathematizavimus et tradidimus eum sathanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestrae prudentiam volumus non latere, manifeste esse deprehensum, quod Rolandus cancellarius et ejus sequaces quidam cardinales, vivente adhuc papa Adriano, conjuraverunt. Fuit autem tenor conjurationis, quod, si eis viventibus papam Adrianum mori contingeret, cardinalem unum de illis eligerent qui in eadem conjuratione esset astrictus. De caetero ex parte Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum et virorum orthodoxorum, qui divino intuitu ad rescindenda scismata convenerunt, universitatem vestram humiliter imploramus et monemus in Christo, ut ea quae aecclesia Dei Papiae congregata ad honorem Creatoris et sponsae suae, matris vestrae, sacrosanctae Romanae aecclesiae tranquillitatem et ad salutem omnium christianorum fideliter ordinavit, vos, omni dubio et ambiguitate remota, irrefragabiliter rata et firma teneatis; orantes, ut redemptor noster Christus Jhesus universalem pontificem et papam nostrum Victorem, de cuius sanctitate et relligione omnino confidimus, per tempora longa conservet et prestet ei omni-

modam tranquillitatem et pacem, ita quod per eum Deus omnipotens honoretur, et aecclesia Romana omnisque christiana relligio gratum Domino accipiat incrementum. Ut autem omnis nostra actio plenius legentibus elucescat, dignum duximus, ut omnium nostrum consensus et nomina subscribantur.

Ego Peregrinus Aquilegensis patriarcha cum meis suffraganeis interfui et consensi. Ego Arnaldus Maguntinus archiepiscopus cum 14 suffraganeis interfui et consensi. Ego Hartwicus Bremensis archiepiscopus cum suffraganeis meis interfui et consensi. Ego Hellinus Treverensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi. Ego Reinaldus Coloniensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi. Ego Wichmannus Magdeburgensis archiepiscopus cum meis suffragancis consensi. Bizuntinus archiepiscopus per legatum et episcopum Basiliensem consensit. Arelatensis archiepiscopus consensit. Lugdunensis archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit. Viennensis archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit. Heinricus rex Anglorum per legatos et litteras suas consensit. Rex Ungarorum per litteras et legatos suos consensit. Rex Boemorum consensit. Rex Danorum consensit. Gwido electus Ravennatensis consensit. Episcopus Firminus consensit. Episcopus Ferentinus consensit. Mantuanus consensit. Pergamensis consensit. Pergamensis consensit. Faventinus consensit. Abbatum vero archipresbiterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit et consensit. Longobardorum inestimabilis multitudo interfuit et consensit. Universi fere principes Romani imperii, tam Teutonici quam Italici, tam in Urbe quam extra Urbem, interfuerunt et assensum cum ingenti desiderio prebuerunt.

THE COUNCIL AT DOLE (1162).

[Saxo Grammaticus; edited by Holder, p. 538 sq.]

CLVIII. Post hec Octavianus, vocato consilio, quam justis suffragis in adipiscendo sacerdocio usus fuerit, loquacius quam verius astruere conabatur; Rodlandum vero honorem, quem oblatum repudiasset, vetitum occupasse, seque causam suam generali pontificum cognicioni inspiciendam prebente, illum impietatis consciencia canonice discrecionis judicium formidare. Preterea ad conciliandos sibi pontificum animos eorum dignitatem benignis decretorum sancionibus adornavit, haud prius Romanam ad sedem provocandum constituens, quam si lis ipsorum pronunciacione finiri non posset. Finiente eo, Cesar provinciarum reges hujus controversie finiende gracia ad colloquium a se invitatos dicebat, eorum pentencie repugnare nefas ducturo. Quos ideo non adesse, quod in Romani imperatoris injuriam Rome pontificem creare cupiant, aliene civitatis jus suis suffragiis amministrare conantes. Post hec Regnaldus, Colonie urbis antistes, religionis causam dicere adorsus, quanto injurie pondere Romani imperatoris equitatem provincialium regum temeritas attentaret, argumentando demonstrare pergebat. Nam si controversiam in eorum civitatibus de pontificatu ortam Cesar suis suffragiis finire vellet, haud dubie id gravium injuriarum loco ducerent, cum ipsi simile in urbe Roma perpetrare conentur. Quam assercionem tam valido racionis presidio subnixam putavit, ut nunc Latialiter, nunc Gallice Germaniceque fando, ternis accionem vocibus iteraret. Sed quantum hac oracione gentis sue favorum illexit, tantum nostre suffragia deturbavit.

THE WURZBURG PROCLAMATION OF FREDERICK I. (1165).

[M. G. H., LL. II. 137.]

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis, ducibus, marchionibus, comitibus et omnibus fidelibus suis, salutem et omne bonum. Cunctis notum est populis, qualiter exorta quondam inter ecclesiae Romanae cardinales de apostolicatu discordia in reges ac regna impetu pestifero est diffusa. Pro qua ad optabile pacis bonum revocanda quantos post beatae memoriae papae Victoris electionem ac confirmationem catholicam Papiae, Laudae, Mediolani, Laonae atque in diversis imperii finibus in corpore nostro labores tam nos quam incliti principes nostri pertulerimus, quantas rerum copias zelo justitiae impenderimus, in extremis quoque mundi partibus jam auditum non dubitamus. Denique beatissimo papa Victore ad paradisi guadia assumpto et in ejus locum ab episcopis ac cardinalibus almae sedis apostolicae domino Pascali, viro christianissimo, in praesentia episcoporum et religiosorum Longobardiae ac Tusciae, illustris quoque praefecti urbis Romae ac multorum nobilium Romanorum catholice substituto, ipsum etiam dominum Pascalem ex ecclesiae ac principum imperii judicio atque consilio in papam et patrem catholicum sollempniter recepimus debitoque honore semper venerari intendimus. Proinde obstinata scismaticorum perfidia, mortem viri justi suis successibus aperta fronte anhelans, sireneis suis blandiciis fidelium quorundam animos adeo molita est de novo immutare, ut, nisi morbis novis nova remedia maturius objicerentur, pars quo-

rundam nostrorum non immodica videretur ex fiducia nostrae lenitatis seducenda. Igitur zelo reformandi decoris domus Dei ardentius accensi, cum regem Francorum, qui, nulla nostra culpa praeeunte, una cum Rolando, imperii nostri hoste publico, ejusque sequacibus imperialem nostrum honorem manifeste molitur auferre, post multos nostros ammonitus irrevocabilem persensissemus, universis nostri imperii principibus in sancto pentecoste curiam generalem Wirzeburch indiximus.

Quorum coetu celeberrimo ibidem solempniter celebrato, ecclesiae Dei statum ac domini papae Pascalis negotium serio ac magnifice duximus roborandum. Invocata igitur devotissime Spiritus sancti gratia et universorum, qui aderant, consilio altius communicato, ad removendam omnem prorsus ambiguitatem ipsi nos manu propria super sanctorum reliquias juramentum publice praestitimus, quod Rolandum scismaticum vel eum, quem pars ipsius elegerit, in papam nunquam recipiemus nec ad eum recipiendum alicui unquam assensum praebebimus; nulli etiam fautorum ejus gratiam nostram unquam reddemus, nisi ab errore viae suae ad unitatem ecclesiae fuerit conversus; dominum Pascalem papam manutenebimus semper atque promovebimus eique tanquam patri catholico et universali pastori obedientiam, honorem atque reverentiam exhibebimus et ab ipso ejusque parte, vita comite, numquam recedemus. Electos quoque, qui sub eo aut ejus successore, quem pars ipsius elegerit, consecrationem receperunt vel adhuc receperint, honore aut ordinibus suis pro ejus obedientia nunquam privari permittemus. Et hujus absolutionem sacramenti nunquam requiremus nec oblatam recipiemus. Praeterea nostri imperii successor, quem principes uni-

versi elegerint, hunc honorem Dei ecclesiae atque imperii et hanc partem nostram sub eodem juramento tuebitur semper atque tenebit. Idem quoque juramentum archiepiscopi omnes, episcopi atque electi, qui fuerunt numero 40, super sancta Dei evangelia manu propria, unusquisque sub stola sua, praestiterunt et publice firmaverunt. Nichilominus universi principes seculares, dux scilicet Saxoniae ac Bavariae, marchio Adelbertus senior, Conradus palatinus comes Rheni et Lodoycus lantgravius ac reliqui omnes, super reliquias sanctorum id ipsum juraverunt. Repente autem Spiritus sanctus mentes omnium adeo fecit unius voluntatis, quod electi, qui praesentes aderant, primo Raynaldus Coloniensis electus et Ytaliae archicancellarius, deinde cuncti, omnes in sabbatho quatuor temporum et laudem Dei et honorem imperii sacros ordines devotissime susceperunt. Firmiter quoque a nobis et ab universis decretum est, ut, quicunque supersunt ordinandi, in proximis quatuor temporibus similiter exsequantur; alioquin dignitatis honore, omni remota dilatione, priventur. Ad hoc honorabiles legati illustris amici nostri H(einrici) gloriosi Anglorum regis, ad nos ab ipso transmissi, in totius nostrae curiae praesentia super sanctorum reliquias ex parte regis Angliae nobis juraverunt publice, quod rex ipse cum toto suo regno in parte nostra fideliter stabit, dominum papam Pascalem, quem nos tenemus, nobiscum tenebit, de Rolando autem manutenendo se de cetero non intromittet.

Nos vero, in tua dilectione et fidelitate plurimam fiduciam habentes, mandamus, attentius monentes et postulantes, quatenus, convocatis in unum omnibus ecclesiae fidelibus, clero videlicet, beneficiatis et ministerialibus,

abbatibus et praepositis, praelatis et presbiteris parochianis, hoc idem praedictum juramentum, ut ipsi principes juraverunt et confirmaverunt, ipse coram omnibus publice facias; tuos quoque archidiaconos et praepositos et ecclesiarum praelatos et abbates et omnes villarum presbyteros de toto episcopatu tuo hoc ipsum juramentum distincte jurare facias et in publica eorum missa, sicut edictum est et sancitum a nobis et a principibus, publicam orationem pro domino papa Pascali nominatim et assidue facias recitari. Edictum quoque et statutum est, ut haec omnia juramenta infra sex ebdomadas ab omnibus compleantur. Quod si aliquis clericorum vel laycorum huic confirmationi et edicto nostro aliquo modo se opponendo contradixerit, ex totius Herbipolensis concilii decreto firmissime praecipimus, ut, si quis ad mandatum sui antistitis aut provinciae praesidis vel domini sui sacramentum non praestiterit, si clericus sit vel monachus, ecclesiastico privetur honore; si laycus, allodia et beneficia, quaecunque possidet, nostra ipsi auctoritate a suo judice vel domino prorsus adimantur, et toto imperio nostro ejiciatur.

Actum est hoc anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi 1165 apud Wirzeburg 6. Nonas Junii.

THE PEACE OF VENICE (1177).

[P. Kehr; Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, XIII. p. 114: as printed in Altmann and Bernheim; Ausgewählte Urkunden.]

1. Dominus imperator F(ridericus) sicut dominum papam A(lexandrum) in catholicum et universalem

papam recepit, ita ei debitam reverentiam exhibebit, sicut catholici sui antecessores suis catholicis antecessoribus exhibuerunt. Successoribus quoque suis catholice intrantibus eandem reverentiam exhibebit.

2. Et reddet dominus imperator veram pacem tam domino pape Alexandro quam omnibus successoribus suis et toti Romane ecclesie.

3. Omnem vero possessionem et tenementum sive prefecture sive alterius rei quam Romana ecclesia habuit et ipse abstulit per se vel per alios, bona fide restituet ei salvo omni jure imperii. Ecclesia quoque Romana omnem possessionem et tenementum quod ei abstulit per se vel per alios, bona fide ei restituet salvo omni jure Romane ecclesie.

4. Possessiones etiam, quas dominus imperator restituet, ad retinendum juvabit.

5. Similiter et universos vassallos ecclesie, quos occasione scismatis dominus imperator abstulit vel recepit, dominus imperator absolvet et domino pape A(lexandro) restituet et ecclesie Romane.

6. Preterea dominus imperator et dominus papa ad honorem et jura ecclesie et imperii conservanda se vicissim juvabunt, dominus papa ut benignus pater devotum et carissimum filium et imperatorem christianissimum, dominus vero imperator ut devotus filius et christianissimus imperator dilectum et reverendum patrem et beati Petri vicarium.

7. Quecumque autem tempore scismatis vel occasione ipsius aut sine ordine juditiario ecclesiis a domino imperatore vel suis sunt ablata, ei restituentur.

8. Domina etiam B(eatrix) imperatrix recipiet dominum papam A(lexandrum) in catholicum et universa-

lem papam. Dominus quoque Henricus rex filius eorum similiter eum recipiet et ei et catholicis successoribus suis debitam reverentiam exhibebit et juramentum, quod dominus imperator exhibuerit, similiter et ipse prestabit.

9. Pacem autem veram reddit dominus imperator et dominus Henricus rex filius ejus illustri regi Sicilie usque ad XV annos, sicut per mediatores pacis est ordinatum et scriptum.

10. Constantinopolitano etiam imperatori et universis adjutoribus ecclesie Romane pacem veram reddit et nullum malum meritum reddet eis per se vel per suos pro servitio collato ecclesie Romane.

11. De querelis autem et controversiis, que ante tempora domini Adriani inter ecclesiam et imperium vertebantur, mediatores ex parte domini pape et domini imperatoris constituentur, quibus committentur, ut eas juditio vel concordia terminent. Si vero predicti mediatores non convenerint, juditio domini pape et domini imperatoris vel ejus seu eorum, quos ad id elegerint, finientur.

12. Cristiano autem dicto cancellario Maguntinus archiepiscopatus, Philippo autem Coloniensis archiepiscopatus concedentur et confirmabuntur eis cum omni plenitudine archiepiscopalis dignitatis et offitii. Et primus archiepiscopatus, qui in Theutonico regno vacaverit, domino Corrado auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris assignabitur, qui tamen congruus videatur.

13. Ei autem qui dicitur Calixtus una abbatia dabitur. Illi autem qui dicebantur ejus cardinales redibunt ad loca que primo habuerunt, nisi ea sponte vel juditio dimiserant, et in ordinibus quos ante scisma perceperunt, relinquentur.

14. Gero autem nunc dictus Alberstatensis precise deponetur et Ulricus verus Alberstatensis restituetur. Alienationes a Gerone facte et benefitia data similiter et ab omnibus intrusis auctoritate domini pape et domini imperatoris cassabuntur et suis ecclesiis restituentur.

15. De electione Brandeburgensis episcopi, qui ad Bremensem archiepiscopatum electus erat, cognoscetur et, si canonicum fuerit, ad eandem ecclesiam transferetur. Et quaecumque a Baldeuuino, qui nunc preest Bremensi ecclesie, alienata vel inbeneficiata sunt, sicut canonicum et justum fuerit,eidem ecclesie restituentur.

16. Item que Salsiburgensi ecclesie tempore scismatis subtracta sunt, ei plenarie restituentur.

17. Universi clerici qui sunt de Ytalia vel aliis regionibus, qui sunt extra Theotonicum regnum, dispositioni et juditio domini pape A(lexandri) successorumque ejus relinquentur. Si vero domino imperatori placuerit rogare pro ordinibus aliquorum quos canonice perceperunt, usque ad X vel XII, si instare voluerit, exaudietur.

18. G(arsidonius) autem Mantuanus ad episcopatum quondam suam restituetur, ita tamen, quod ille, qui nunc est Mantuanus, auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris ad Tridentinum episcopatum transferetur, nisi forte inter dominum papam et dominum imperatorem convenerit, ut in alio ei episcopatu provideatur.

19. Archipresbiter vero de Sacco in archipresbiteratu quondam suo et in aliis benefitiis, que ante scisma habuit, cum omni plenitudine restituetur.

20. Universi etiam ordinati a quondam catholicis vel ab ordinatis eorum in Theutonico regno restituentur in ordinibus taliter perceptis nec occasione hujus scismatis gravabuntur.

21. De Argentinensi autem et Basiliensi dictis episcopis, qui ordinati fuerunt a Guidone Cremensi in eodem regno, a predictis mediatoribus committetur X vel octo quos ipsi elegerint, qui prestito juramento firmabunt, quod illud consilium de ipsis Romano pontifici et domino imperatori dabunt quod viderint se canonice posse dare absque periculo scilicet anime domini pape et domini imperatoris et sue, et dominus papa adquiescet eorum consilio.

22. Dominus autem papa et omnes cardinales sicut receperunt dominum imperatorem F(redericum) in Romanorum et catholicum imperatorem, ita recipient B(eatricem) felicem uxorem ejus in catholicam et Romanorum imperatricem, ita tamen quod ipsa coronetur a domino papa A(lexandro) vel a legato ipsius. Dominum autem Henricum filium eorum in catholicum regem recipient.

23. Pacem etiam veram reddent dominus papa et cardinales domino imperatori F(rederico) et domine imperatrici B(eatrici) et Henrico regi filio eorum et universis adjutoribus ipsorum, salvis que de spiritualibus dispositioni et juditio domini pape A(lexandri) et Romane ecclesie presenti scripto relinquuntur et salvo omni jure Romane ecclesie adversus detentatores rerum beati Petri et salvis his que prescripta sunt tam pro parte ecclesie quam pro parte domini imperatoris et imperii.

24. Pacem vero predictam promittit dominus papa se observaturum in verbo veritatis et omnes cardinales et privilegium inde faciet cum subscriptione omnium cardinalium. Ipsi etiam cardinales scriptum confirmationis predicte pacis facient cum appositione sigillorum suorum.

25. Et dominis papa statim advocato concilio quale subito advocari poterit, cum cardinalibus episcopis aliisque religiosis viris qui interfuerint, excommunicationem statuet in omnes qui hanc pacem infringere temptaverint. Deinde in generali concilio idem faciet.

26. Plures etiam de nobilibus Romanis et capitaneis Campanie hanc eandem pacem juramento firmabunt.

27. Imperator vero predictam pacem ecclesie et jam dictam pacem XV annorum illustris regis Sicilie et treuquam Lombardorum a proximis scilicet Kal. augusti usque ad VI annos firmabit juramento suo et principum et faciet Lombardos qui ex parte sua sunt, sicut in communi scripto treuque dispositum et scriptum est, eamdem treuquam firmari. Si vero aliquis fuerit ex parte imperatoris, qui predictam treuquam jurare recusaverit, imperator precipiet universis qui ex parte sua sunt sub debito fidelitatis et gratie sue, ut nullum prestent ei auxilium et volentibus eum offendere in nullo obsistant vel contradicant, et si quis offenderit, non teneatur inde. Mandatum autem istud non revocabit dominus imperator, donec treuqua durabit. Et dominus Henricus rex filius ejus predicta firmabit, sicut scripto dispositum est. Dominus etiam imperator predictam pacem ecclesie et illustris regis Sicilie usque ad XV annos et treuquam Lombardorum corroborabit scripto suo cum subscriptione sua et principum.

28. Si vero, quod absit, dominus papa premoriatur, dominus imperator et dominus Henricus rex filius ejus et principes hanc formam pacis et compositionis firmiter observabunt successoribus suis et universis cardinalibus et toti Romane ecclesie et illustri regi Sicilie et Lombardis et ceteris qui secum sentiunt. Similiter, quod

absit, si dominus imperator premoriatur, dominus papa et cardinales et ecclesia Romana jam dictam pacem firmiter observabunt successori suo et B(eatrici) felici uxori ejus et Henrico regi filio ejus et omnibus de Theotonico regno et ceteris adjutoribus suis, sicut prescriptum est. Et successores domini pape similiter observabunt.

† Wiemannus Madiburgensis archiepiscopus subscripsi.

† Philippus Coloniensis archiepiscopus subscripsi.

† Ego Cristianus Maguntinus archiepiscopus subscripsi.

† Ego Arnaldus Treuerensis archiepiscopus subscripsi.

† Ego Arduinus imperalis prothonotarius subscripsi.

TESTAMENT OF HENRY VI. (1197).

[M. G. H., LL. II. a, 185.][1]

Imperatrix consors nostra, et filius noster Fredericus, domino papae et ecclesiae Romanae exhibeant omnia jura, quae a regibus Siciliae consueverunt habere, et domino papae securitatem faciant, sicuti reges Siciliae summo pontifici et Romanae ecclesiae facere consueverunt. Si vero praedicta consors nostra praemoreretur, filius noster secundum ordinationem suam remaneat, et si filius noster sine herede decesserit, regnum Siciliae ad Romanam ecclesiam deveniat. Si vero filius noster prae-

[1] For summary of arguments as to genuineness of this document, cf. Prutz; Staatengeschichte des Abenlandes im Mittelalter, I. 573.

moreretur, dilecta consors nostra regnum in vita sua teneat, et post mortem suam regnum Siciliae ad Romanam ecclesiam deveniat. De imperio ordinamus, quod dominus papa et ecclesia Romana illud filio nostro confirment, et pro hac confirmatione imperii et regni volumus, quod tota terra nostra comitissae Mathildis restituatur domino papae et Romanae ecclesiae, praeter Medisinam et Argelatam cum earum pertinentiis.

Et insuper ordinamus et volumus, ut tota terra de Ponte Payle cum Monte Fortino libere dimittatur domino papae, usque ad Ceperanum, et quod ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper praecipimus Marcualdo senescalco nostro, ut ducatum Ravennae, terram Brittonorii, et marchiam Anconitanensem recipiat a domino papa et Romana ecclesia, et recognoscat etiam ei Medisinam et Argelatam cum suis pertinentiis. De quibus omnibus bonis suis securitatem ei juret, et fidelitatem ei faciat, sicut domino suo. In morte vero sua si sine herede decesserit, ducatus Ravennae, terra Brittonorii, et marchia Anconae, Medisina et Argelata cum suis pertinentiis, in dominio Romanae ecclesiae remaneant.

INNOCENT ON THE ELECTION OF EMPERORS.

[Migne; Patro. Lat. Inno. III., vol. IV., 1065. The text here given is that of Richter-Friedberg; Corpus Juris Canonici, Decret. Greg. IX., I. 6, 34.]

Venerabilem fratrem nostrum Salzburgensem archiepiscopum, et dilectum filium abbatem de Salem et nobilem virum marchionem orientalem, quorumdam

principum nuncios ad sedem apostolicam destinatos benigne recepimus, et eis benevolam duximus audientiam indulgendam. Literas quoque, quas per eos quidem nobiles principes destinarunt, diligenter perlegi fecimus, et quae continebantur in eis notavimus universa. Inter cetera vero quidam principes hac praecipae objectione sunt usi, dicentes, quod venerabilis frater noster Praenestinus episcopus apostolicae sedis legatus aut electoris gessit aut cognitoris personam; si electoris, in messem alienam miserat falcem suam, et electioni se ingerens principum derogaverat dignitati; si cognitoris, absente altera partium, videtur perperam processisse, quum citata non fuerit, et ideo non debet contumax judicari. Verum nos, qui secundum apostolici servitutis officium sumus singulis in justitia debitores, sicut justitiam nostram ab aliis nolumus usurpari, sic jus principum nobis nolumus vindicare. Verum illis principibus jus et potestatem eligendi regem, in imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere; praesertim, quum ad eos jus et potestas hujusmodi ab apostolica sede pervenerit, quae Romanum imperium in personam magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos. Sed et principes recognoscere debent, et utique recognoscunt, sicut iidem in nostra recognovere praesentia, quod jus et auctoritas examinandi personam electam in regem et promovendam ad imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus et coronamus. Est enim regulariter et generaliter observatum, ut ad eum examinatio personae pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid enim, si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque, vel excom-

municatum in regem, tyrannum, vel fatuum, haereticum eligerent, aut paganum, nos inungere, consecrare ac coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino.

Objectioni ergo principum respondentes, asserimus, quod legatus noster episcopus Praenestinus carissimum in Christo filium nostrum approbando regem Ottonem, et reprobando Philippum ducem Suaviae, nec electoris gessit personam, juxta quod nobis per literas suas quidam principum opponebant, utpote que nec fecit aliquem eligi, nec elegit, et sic electioni nequaquam ingessit se, nec cognitoris personam exhibuit, quum neutrius electionem quoad factum eligentium confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam. Et sic jus sibi principum nullatenus usurpavit aut venit contra illud. Exercuit autem denunciatoris officium, quia personam ducis ejusdem indignam, et personam regis denunciavit idoneam quoad imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quam propter merita electorum; quamvis plures ex illis, qui eligendi regem in imperatorem promovendum de jure ac de consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum regem Ottonem, et ex eo, quod fautores Philippi ducis, absentibus aliis et contemptis, ipsum eligere praesumpserunt, pateat, eos perperam processisse, quum explorati sit juris, quod electioni plus contemptus unius, quam contradictio multorum obsistat. Unde, quia privilegium meruerunt amittere qui permissa sibi abusi sunt potestate, videri non immerito potest, quod injuria hujusmodi non obstante ceteri uti poterint jure suo. Et quoniam dux praedictus nec ubi debuit, nec a quo debuit, et unctionem accepit, memoratus vero rex et ubi debuit, videlicet Aquisgrani, et a quo debuit, scilicet a venerabili fratre

nostro Coloniensi archiepiscopo recepit utrumque; Nos utique non ducem, sed reliquum reputamus et nominamus regem justitia exigente. In reprobatione vero praefati Philippi ducis Suaviae propter manifesta impedimenta personae non accusatione, sed condemnatione potius fuit opus, quia non accusatione, sed condemnatione indigent manifesta. Quod autem, quum in electione vota principum dividuntur, post admonitionem et exspectationem alteri partium favere possimus, maxime postquam a nobis unctio, consecratio et coronatio postulantur, sicut utraque pars a nobis multoties postulavit, ex jure patet pariter et exemplo. Numquid enim, si principes admoniti et exspectati vel non potuerunt, vel noluerunt in unum propositum convenire, sedes apostolica advocato et defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in poenam? Sciunt autem principes et tua nobilitas non ignorat, quod, quum Lotharius et Corradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, et imperium obtinuit coronatus, eodem Corrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte. Eos igitur duximus commonendos, ut, sicut nos a juris ipsorum cessamus injuria, sic ipsi contra jus nostrum se nequaquam injuriosos ostendant, sed a praefato duce, justo quidem a nobis judicio reprobato, recedant, et praefato regi Ottoni non abnuant adhaerere, nisi tunc demum contra personam vel factum legitimum quid ab eis objectum fuerit et ostensum. (Et infra:) Sunt enim notoria impedimenta ducis Suaviae, scilicet excommunicatio publica, perjurium manifestum, et persecutio divulgata, quam progenitores ejus et ipse praesumpserunt in apostolicam sedem et alias ecclesias exercere. Fuit quoque a bonae memoriae Caelestino Papa praedeces-

sore nostro propter invasionem et devastationem patrimonii beati Petri, commonitione saepe praemissa, publice ac solenniter excommunicationis vinculo innodatus, quum in Tuscia moraretur, quod ipse postmodum recognovit, dum per nuncium suum ab ipso praedecessore nostro absolutionis beneficium postulavit, et postmodum a tunc Sutrino episcopo, quem cum abbate sancti Anastasii pro liberatione venerabilis fratris nostri Salernitani archiepiscopi nos in Theutoniam miseramus, contra formam mandati nostri de facto solummodo, quia de jure non potuit, post suam electionem apud Wormatiam occulte se fecit absolvi. Unde patet, quod fuit excommunicatus electus. Et videtur non immerito, quod adhuc sit ex eadem causa excommunicationis sententia innodatus, quum praedictus episcopus eum sua auctoritate non posset absolvere, auctoritate vero nostrae delegationis nec posset plus, nec aliter liceret hoc ipsi, quam ei fuerat ab apostolica sede concessum. Ex eo etiam excommunicationis sententiae subjacere creditur manifeste, quod, quum perfidus Marcualdus, Dei et ecclesiae inimicus, cum universis fautoribus tam Theutonicis quam Latinis, excommunicationis vulgatae vinculis suae iniquitatis meritis sit adstrictus, sicut jam vobis per literas nostras directas per P. judicem Placentinum ipsius Philippi nuncium intimasse meminimus, quas ad ipsius Philippi audientiam credimus pervenisse, ipse nihilominus, quamvis id, non tantum ex relatione ipsius judicis, sed etiam per publicam famam ad notitiam ejus devenerit, eidem excommunicatio non solum communicat, sed eum in malitia sua fovet, et per nuncios et literas suas exacuit furorem ipsius, ut carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, Siciliae regem illus-

trem, nepotem suum, quem jam hereditate paterna privavit, adhuc privet possessione materna. Idem etiam contra proprium juramentum, super quo nec consilium a sede apostolico requisivit, ambitionis vitio regnum sibi usurpare praesumpsit, non alium causa necessitatis in regem eligere, quod utcunque tolerabilius videretur, quum super illo juramento prius Romana ecclesia consuli debuisset, sicut et eam quidam consuluere prudenter, apud quam ex institutione divina plenitudo residet potestatis. Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si juramentum illud dicatur illicitum, quum nihilominus super eo nos prius consulere debuisset, quam contra ipsum propria temeritate venire, praesertim illo exemplo, quod quum Gabaonitae a filiis Israel per fraudem surripuerint juramentum, ipsi tamen cognita fraude contra illud venire temere noluerunt. Utrum vero dictum juramentum sit licitum vel illicitum, et ideo servandum an non servandum exstiteret, nemo sanae mentis ignorat ad nostrum judicium pertinere. Quod autem Philippus de genere persecutorum existat, principes non credimus dubitare, quum Henricus, qui primus imperium de genere hoc accepit, bonae memoriae Paschalem Papam praedecessorem nostrum cum episcopis, cardinalibus et multis nobilibus Romanorum, praesumpserit captivare. Fridericus autem pater ipsius Philippi contra felicis recordationis Alexandrum Papam praedecessorem nostrum longo tempore schisma fovit. Henricus frater ipsius Philippi, qualiter se habuerit circa interfectores sanctae memoriae Alberti Leodiensis episcopi, quem ipse prius coegerat exsulare, ac Conradus, qui praedictum Ostiensem episcopum ceperat, satis nostis. Qui etiam qualiter venerabilem fratrem nostrum Auxima-

num episcopum alapis caedi fecerit, et pilos de barba ejus avelli, et tractari eum in pluribus inhoneste, qualiter quoque quosdam familiares ecclesiae Romanae naso fecerit mutilari, qualiter praedictum Salernitanum archiepiscopum captivarit, et quosdam viros ecclesiasticos flammis torreri fecerit, quosdam vero viros in mare submergi, ad tuam et aliorum principum credimus audientiam pervenisse.

Insuper, si praedictus dux, quod absit, imperium obtineret, libertas principum in electione periret, et imperium obtinendi de cetero ceteris fiducia tolleretur. Nam si, prout olim frater dicti ducis patri eorum, sic dux ipse fratri suo succederet, videretur imperium non ex electione, sed ex successione deberi, et in praejudicium principum redundaret, si non nisi de domo ducis praedicti videretur aliquis ad imperium assumendus. Quum ergo nos flecti a nostro proposito nulla penitus occasione possimus, sed in ea potius firmisse persistamus, et tu nobis saepe per literas tuas duxeris suggerendum, ut eidem duci nullatenus faveremus, nobilitatem ergo tuam monentes per apostolica scripta mandamus, quatenus, sicut de gratia nostra confidis, et nos de tua devotione speramus, de cetero a praefato duce Philippo recedas omnino, non obstante juramento, si quod ei ratione regni fecisti, quum eo quantum ad obtinendum imperium reprobato, juramentum hujusmodi non debeat observari. Praedicto vero regi Ottoni, quem nos concedente Domino, ad coronam imperii disponimus evocare, patenter adhaereas et potenter; ut quum ei ad commonitionem nostram adhaeseris, inter primos gratiam et benevolentiam ejus obtinere praecipue merearis, ad quod nos pro tuae nobilitatis amore dabimus operam efficacem. [Dat. Laterani.]

FREDERICK II. SWEARS FEALTY FOR SICILY (1211).

[H.-B., I. 201.]

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Reverendissimo patri et charissimo domino Innocentio Dei gratia sancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Inter universa quae gerimus in desideriis nostris precipue, hoc principaliter affectamus ut vobis et sacrosancte Romane Ecclesie gratum impendamus obsequium et devotum exhibeamus honorem, ne unquam beneficiorum vestrorum, quod avertat Dominus, inveniamur ingrati, cum post divini muneris gratiam non solum terram, sed vitam per vestrum patrocinium nos fateamur habere. Licet igitur antecessores nostri clare memorie reges Sicilie Apostolice Sedi fideles fuerint et devoti, nos tamen tanto fideliores et devotiores ei desideramus existere quanto plura et potiora beneficia nos ab ea cognoscimus percepisse ac in posterum percepturos esse perspicimus. Vos enim nobis et heredibus nostris qui in regnum successerint concessistis regnum Sicilie, ducatum Apulie ac principatum Capue cum suis pertinentiis universis, Neapolim, Salernum et Amalfiam cum pertinentiis suis, Marsiam et alia que ultra Marsiam debemus habere ac reliqua tenimenta que tenemus, a predecessoribus nostris hominibus sancte Romane Ecclesie jure detenta, et contra omnes homines honorifice manutenere juvabitis. Pro quibus omnibus coram charissimo amico nostro domino Gregorio Sancti Theodori venerabili diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, fidelitatem vobis vestrisque successoribus et Ecclesie Romane juravimus, sicut in

duobus similibus capitularibus est expressum quorum unum penes nos vestro sigillo aureo munitum habetur, firmiter promittentes quod quia presens presenti debet hominium exhibere, quandocumque vos aut successores vestri nos in aliquam partem regni quam secure possimus adire ad vestram presentiam vocaveritis, accedemus ligium homagium prestituri, nisi certum impedimentum aut evidens necessitas intervenerit; quibus cessantibus veniemus sine fraude ad ligium homagium faciendum. Censum vero sexcentorum squifatorum de Apulia et Calabria, quadringentorum vero de Marsia vel equivalens in auro vel argento nos et heredes nostri vobis et successoribus vestris annis singulis persolvemus, nisi forte aliquod impedimentum intervenerit; quo cessante census ex integro persolvetur. Electiones autem secundum Deum per totum regnum canonice fiant, de talibus quidem personis quibus nos et heredes nostri requisitum a nobis prebere debeamus assensum. Hec autem omnia sicut nobis, sic etiam heredibus nostris qui in regnum successerint concessistis, quique sicut nos vobis et successoribus vestris ac Ecclesie Romane fidelitatem facere queve prescripta sunt fideliter voluerint observare. Ut autem que supra diximus tam vestro quam successorum vestrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, et nec nostris nec heredum nostrorum temporibus alicujus valeant presumtione turbari, presens privilegium per manus Bonihominis de Gaieta notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis M. CC. XI, mense februarii, indictione XV, regni [nostri anno] XIV.

THE GOLDEN BULL OF EGER (1213).

[M. G. H., LL. II. 224.]

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus, et rex Syciliae. Regnum nostrum tunc stabiliri credimus et confidimus, cum Altissimum, de cujus manu ea quae possidemus bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis et devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis et mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam quae data est nobis ab ipso, habentes quoque pre oculis inmensa et innumera beneficia vestra, karissime domine et reverentissime pater, protector et benefactor noster domine Innocenti, Dei gratia summe pontifex venerande, per cujus benefitium operam et tutelam aliti sumus protecti pariter ac promoti, postquam in sollicitudinem vestram mater nostra felicis memoriae Constantia imperatrix ex ipso quasi utero nos jactavit, vobis, beatissime pater, et omnibus catholicis successoribus vestris, sancteque Romane ecclesiae spetiali matri nostrae, omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam, semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam predecessores nostri reges et imperatores catholici, vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nichil ex his volentes diminui, set magis augeri, ut nostra devotio magis enitescat. Illum igitur abusum volentes abolere, quem interdum quidam predecessorum nostrorum exercuisse dinoscuntur, et dicuntur, in electionibus prelatorum, concedimus et sanccimus, ut electiones prelatorum libere fiant, et canonice,

quatenus ille prefitiatur aecclesiae viduatae, quem totum capitulum vel major et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nichil obstet ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis et causis ecclesiasticis, ad sedem apostolicam libere fiant, earum prosecutionem sive processum nullus impedire presumat. Illum quoque dimittimus et refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prelatorum aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere, pro motu propriae voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prelatis relinquimus libere disponenda ut quae sunt Cesaris Cesari, et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hereticae pravitatis errore, auxilium dabimus et operam efficacem. Possessiones etiam quas aecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas dimittimus, ipsamque ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas autem nondum recuperaverit, ad recuperandum pro viribus erimus coadjutores. Et quaecumque ad manus nostras devenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quae est a Radicophano usque Zeperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissae Mahtildis, comitatus Brittenorii, exarcatus Ravennae, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum et regum, a tempore Ludowici, ut eas habeat Romana aecclesia in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu, et honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus aecclesia ab apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi pontificis, recipiemus procurationes sive

fodrum ab illis. Adjutores etiam erimus ad rettinendum et defendendum Romanae aecclesiae regnum Syciliae ac cetera jura quae ad ipsam pertinere dinoscuntur, tamquam devotus filius, et catholicus princeps. Ut autem haec omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio, sacrosanctae Romanae aecclesiae summo pontifici, vestrisque successoribus per nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores observentur, firmaque et inconvulsa semper permaneant, presens privilegium conscriptum majestatis nostrae aurea bulla jussimus communiri. Testes autem hii sunt. Sigefridus Maguntinae sedis arciepiscopus apostolicae sedis legatus. Eberhardus Salzburgensis arciepiscopus, Berardus Barensis arciepiscopus, Chuonradus Ratisponensis episcopus, Otto Wirzinburgensis episcopus, Manegoldus Pattaviensis episcopus, Engelhardus Zizensis episcopus. Odacrias Boemorum rex, Lodwicus dux Bawariae, Liupoldus dux Austriae et Styriae, Hermannus lantgravius Thuringiae, comes Albertus de Eberstein, comes Adolfus de Sowenburc, comes Burchardus de Mannesveld, comes Gerhardus de Diets, comes Ludwicus de Wirtemberch, Gebehardus burcravius Meigdeburgensis, Hainricus de Stahhelburch, Waltherus de Langenberch, Hainricus de Chalandrino, marescalcus imperii, Waltherus de Sypf, pincerna imperii, Gwaltherus Gentilis, comestabulus regni Sycilie; et alii quam plures.

Signum domini Frederici secundi Romanorum regis invictissimi (L. M.) et regis Syciliae.

Ego Chuonradus Dei et apostolicae sedis gratia Metensis episcopus, vice domini Sigefridi, Maguntini arciepiscopi et apostolicae sedis legati, ac totius Germaniae arcicancellarii, recognovi.

Acta sunt haec anno domini nostri Jesu Christi 1213, indictione prima, regnante domino Frederico secundo Romanorum rege glorioso et rege Sicilie, anno regni ejus Romani primo, Siciliae vero 16.

Datum apud Egram per manus Bertoldi de Niffen, regalis aulae prothonotarii, quarto Idus Julii.

OATH SWORN BY FREDERICK II. TO INNOCENT III.[1] (1213).

[H.-B., I. 272.]

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Fridericus II Dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie, tibi domino meo sanctissimo ac patri carissimo Innocentio pape III tuisque sucessoribus et Ecclesie Romane, presentibus subscriptis principibus imperii et nobilibus, spondeo, polliceor et promitto et juro quod omnes possessiones, honores et jura Romani Ecclesie pro posse meo bona fide protegam et servabo. Possessiones autem quas Ecclesia Romana recuperavit liberas et quietas sibi dimittam, et ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo; quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum et recuperatarum secundum posse meum ero sine fraude defensor, et quecumque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra que est a Radicofano usque Ceperanum, exarchatus Ravenne, Pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitisse

[1] Compare oath of Frederick to Honorius III. in 1219. M. G. H., LL. II. 232.

Mathildis, comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro posse meo restituam et quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu et honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus Ecclesie ab Apostolica Sedi vocatus accessero, de mandato summi pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum et defendendum Ecclesie Romane regnum Sicilie. Tibi etiam domino meo Innocentio pape et successoribus tuis omnem obedientiam et honorificentiam exhibebo, quam devoti et catholici imperatores consueverunt Sedi Apostolice exhibere; et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei sicut necessitas postulaverit in expensis. Omnia vero predicta tam juramento quam scripto firmabo, cum imperii fuero coronam adeptus.

Principes autem imperii et nobiles quibus presentibus juravi, hi sunt; Evirhardus Salzburgensis archiepiscopus, Berardus Barensis archiepiscopus, Mangoldus Patauiensis episcopus, Engilhardus Nuemburgensis episcopus, Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis ante cancellarius, Luppoldus dux Austrie et Styrie, Ludowicus dux Bavarie, comes Albertus de Ewirstein, Henricus mareschalcus de Callindun, Gualterus pincerna.

Actum in capella in castro Egre, anno dominice incarnationis MCCXIII. IV Idus julii, indictionis prime.

SUMMONS OF FREDERICK II. TO HIS CRUSADE (1221).

[M. G. H., LL. II. 245, 246.]

Fridericus secundus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, universis ejus fidelibus ad quos littere iste pervenerint, suam gratiam et bonam voluntatem. Post obtentam de multa et varia hostilitate facient Domino victoriam, post plurimos laboriosos agones, in quibus imperii virtus, et gloria imperatorie majestatis enituit, decet nos omnium creatorem, per quem vivimus, movemur, et sumus, per quem imperialis culminis optatis felicitatibus gubernamur, toto corde, tota mente, et omni virtute diligere, et ei devotissime omnibus viribus totaliter adherere: quia etsi successus nobis mundane prosperitatis arrideat, absit, ut favor transitorie felicitatis nos a nostri conditoris amore pariter et timore deflectat. Considerantes igitur, nec sine amaritudine amarissima recolentes, salutifere crucis triumphale vexillum, Dominicam sepulturam, civitatem sanctam, in qua salutem nostram est Dominus operatus, et venerabile templum, et coenaculum grande stratum, in quo Domino pascha discipuli paraverunt, conversa in theatrum, et seculare ridiculum, ubi Rachel plorat filiorum suorum jugalum; horrendum facinus, et triste spectaculum, tacti dolore cordis intrinsecus et rubore de succursu celeri diebus et noctibus cogitamus, galeas et naves, prout res exigit, magnifice preparantes. In imperialibus itaque humeris in nomine Crucifixi vexillum crucis patenter tempore nostre coronationis ereximus, ut cunctis imperii nostri fidelibus innotescat, quod sicut gratiam nostram diligunt et coronam, ad succursum

Terre Sancte se viriliter et potenter accingant. Et licet multi principes, barones et milites vota nostra humiliter prosequentes, insigniti sint signiculo sancte crucis, pauci tamen sunt in articulo necessitatis instantis. Eia milites fideles imperii, arripite velociter arma christiane militie, quia jam Romani imperii victrices aquile prodiere. Duplicis quidem retributionis donativa percipiunt, qui celsitudini nostre in proposito hujus sancte peregrationis assistunt; quia preter imperialem gratiam adipiscuntur felicitatem eternam. Quocirca universitati vestre per imperialia scripta mandamus, obsecramus in Domino, rogamus, et hortamur omni affectione qua possumus exorantes, quatinus accensi zelo illius, cujus sponsa ecclesia mater vestra in ea terra captiva miserabiliter detinetur, recolentes etiam qualiter a diebus antiquis et generationibus seculorum imperatores Romani mundum universum sue subdiderint ditioni auxilio suorum fidelium qui cum eis usque ad effusionem sanguinis laborarunt, non patiamini in nostro pio proposito nos confundi, immo sicut unquam Deum diligitis et gratiam nostram caram habetis, ad succursum Terre Sancte vos sine dilatione pro presenti passagio viriliter accingatis, scientes quod nichil umquam aliquo tempore possetis efficere, per quod taliter omnibus vobis et singulis imperialem redderetis celsitudinem obligatam, maxime cum inimici crucis Christi et hostes nominis christiani pre timore Regis superni et membrorum suorum jam quasi totam quam querimus relinqueret Terram Sanctam. Super hoc autem plene credatis et efficaciter impleatis, quecumque vobis ex parte nostra karissimus in Christo pater Hugolinus Hostiensis et Velletrensis episcopus apostolice sedis legatus duxerit proponenda, quem spe-

ciali diligentes affectu, ut personam nostram ab omnibus volumus et precipimus honorari.

Dat. Salerni 4. Id. Feb., indictione 9.

THE FIRST EXCOMMUNICATION OF FREDERICK II. (1227).

[Encyclical of Gregory IX. H.-B., III. 24.]

Gregorius episcopus, etc. Marsicano, Valvensi, Theatino, Pennensi, Aprutino, ceterisque per has regiones constitutis episcopis, etc. In maris amplitudine spatiosa navicula Petri posita, vel potius exposità turbinibus tempestatum, sic jugiter procellis et fluctibus agitatur, ut ejus gubernatores et remiges vix contigat aliquando inter augustias inundantium imbrium respirare. Nam si quando prospero vento flante plenis velis ad portum tenditur, subito ventus irruens ex adverso impulsus ab illo, cujus halitus prunas ardere facit, ad maris altitudinem et turbulente profunditatis oceanum navim rapit que cincta fluctibus mergitur, non submergitur, quia in ea residens Dominus discipulorum tandem clamoribus excitatus, dum fugat spiritus insufflantes, et mari ventisque imperat, fit tranquillum. Quatuor quidem procelle precipue quatiunt navim istam; nam perfidia paganorum terram inclytam Christi sanguine consecratam impie detinere contendit; rabies tyrannorum temporalia rapiens, exterminat justitiam et conculcat ecclesiasticam libertatem; hereticorum insania Christi tunicam scindere nititur et subvertere fidei fundamentum; falsorum fratrum et filiorum dolosa perversitas

concutit viscera et latus dilacerat matris sue. Sicque foris pugne, intus timores: extra interficit gladius et domi mors similis intentatur; fitque frequenter quod Christi Ecclesia tot angustiis perturbata, dum alere credit filios, nutrit in sinu ignem, serpentes et regulos qui flatu, morsu, incendio cuncta vastare nituntur. Huic est quod ad monstra hujusmodi perimenda et expugnandas acies inimicas, ad tempestatum inquietudines mitigandas, apostolica sedes his temporibus cum multa diligentia quemdam nutrivit alumnum, imperatorem videlicet Fridericum, quem quasi a matris utero excepit genibus, lactavit uberibus, humeris bajulavit, de manibus querentium animam ejus frequenter eripuit, educare studuit multis laboribus et expensis, usque ad virum perfectum deduxit, ad regie dignitatis decorem et tandem ad fastigium culminis imperialis provexit, credens ipsum fore defensionis virgam et sue baculum senectutis. Ipse autem dum in Theutoniam se transtulit ad habenas imperii obtinendas, jocunda quedam, ut credebatur, auspicia, sed verius spicula matris obtutibus inferebat. Nam sponte, non monitus, Sede apostolica ignorante, crucem suis humeris affixit, vovens solemniter se in terre sancte subsidium profecturum. Deinde se ac alios crucesignatos excommunicari obtinuit, nisi certo profiscerentur tempore; sed incidenter absolutionem petiit et accepit, de parendo super hoc mandatis Ecclesie prius prestito juramento. Exuberantem autem gratiam super ipsum apostolica sedes effundens ut festinantius ad terre sancte transiret subsidium, ipsum contra morem ad coronam vocavit, que ad hoc non invitarè sed invitari multiplicatis intercessionibus per magnificos nuntios consuevit; sicut idem sub crucis vexillo usque

ad hec tempora negotia propria plenius et perfectus consummavit. Tandem cum de manibus felicis recordationis Honorii pape, predecessoris nostri, in beati Petri basilica recepisset imperii diadema, de manibus nostris, tunc in minori officio constitutis, crucem resumpsit, votum publice innovavit, plures de spe sui subsidii ad crucem suscipiendam induxit, certum recepit terminum transfretandi. Habito quoque postmodum apud Verulas cum Ecclesia Romana colloquio, juravit publice se in certo termino a Romana sibi ecclesia prefigendo tanquam imperatorem honorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum, in colloquio simili, duorum annorum transfretandi sibi elegit terminum et prefixit, seque tunc transiturum et nobilem mulierem natam charissimi in Christo filii nostri Joannis regis Hierosolymitani illustris, ipsius regni heredem, in conjugem recepturum solemniter prestito juramento spopondit; adjungens, quod per hoc ad obsequium terre sancte, non ut ceteri peregrini, sed ut Hospitalarius vel Templarius, se in perpetuum obligabat. Appropinquante itaque termino prelibato, cepit multiplices excusationes pretendere se ad transitum asserens imparatum, et ut denuo duorum annorum sibi daretur terminus, grandia obtulit obsequia terre sancte cum obligationibus satis magnis. Apostolica vero Sedes ne tantis laboribus exsufflatis et inutiliter sic exhaustis totum dissolveretur negotium, quod humeris hujus principis post Romanam Ecclesiam principalius incumbebat, habito plurium episcoporum et aliorum proborum virorum consilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem nostrum P(elagium) Albanensem episcopum, et bone memorie G. tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem ad firmanda ea que imperator

pro Crucis obsequio spontaneus promittebat, transmisit. Cumque apud sanctum Germanum cum pluribus Alemannie principibus pariter convenissent, imperator propria manu juravit, quod inde ad biennium, id est in passagio augusti proximo nunc transacti, omni excusatione ac dilatione cessantibus, transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum in obsequiis terre sancte, centum millia unciarum auri in quinque passagiis proximo tunc futuris illuc destinaret certis assignanda personis; et tunc cardinales predicti de imperatoris assensu in ejus conspectu, principum ac populi circumstantis, sententiam excommunicationis publice auctoritate Sedis apostolice protulerunt in quam incideret imperator, si forsan in aliquo deficeret predictorum. Obligavit se insuper imperator ad centum calendras et quinquaginta galeas ducendas et tenendas biennio ultra mare, ac quod insuper duobus millibus militum passagium certis terminis largiretur, in animam suam jurari faciens se ista que prediximus impleturum, et sponte consentiens in ipsum et regnum suum ferri sententiam, si hec non fuerint observata. Qualiter autem hoc impleverit advertatis. Nam cum ad ejus frequentem instantiam multa crucesignatorum millia per excommunicationis coarctata in termino destinato ad portum Brundusii properassent, quia gratiam suam imperator subtraxerat civitatibus fere omnibus in portubus constitutis, et idem a predecessore nostro ac nobis frequentius monitus ut diligenter pararet omnia et fideliter que spoponderat adimpleret, ipse omnium promissorum que apostolice Sedi et crucesignatis per litteras suas fecerat de sponsione passagii, necessariorum et victus, et sue salutis immemor, tamdiu in estivi fervoris incendio in regione mortis et aeris cor-

ruptela detinuit exercitum christianum, quod non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium et magnatum pestilentia, sitis ariditate et multis incommoditatibus expiravit. Inter quos defecerunt bone memorie nobilis vir Lantgravius et episcopus Augustensis. Pars vero non minima infirmitate gravata regrediens in viis et silvis, montibus, planitiis et spelucis, occubuit jam ex parte. Sane reliqui vix imperatoris obtenta licentia, licet galee, calendre ac naves sufficientes ad transitum victualium hominum et equorum, ut promiserat, non adessent, in festo tamen Nativitatis beati Virginis, cum jam temporis instantia immineret, ut naves a transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt, se pro nomine Jesu Christi discrimini committentes ac credentes imperatorem cominus eorum vestigium secuturum. Idem vero evacuatis promissionibus, ruptis vinculis quibus tenebatur astrictus, calcato timore divino, contempta reverentia Jesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, derelicto exercitu christiano, exposita infidelibus terra sancta, devotione populi christiani abjecta, in suum et totius christianitatis opprobrium retrorsum abiit, attractus et illectus ad consuetas delicias regni sui, abjectionem sui cordis frivolis excusationibus, ut dicitur gestiens palliare. Attendite et videte si est dolor sicut dolor apostolice Sedis matris vestre, sic crudeliter et toties decepte a filio quem lactaverat, in quo locaverat in hoc facto fiduciam spei sue, in quem tot beneficiorum abundantiam cumularat, dissimulares interim ne occasione inventa se averteret a terre sancte subsidio, exilia presulum, spoliationes, captivitates et injurias multiplices quas ecclesiis et religiosis et clericis irrogavit, et obaudiens querlas

multiplices pauperum popularium et nobilium patrimonii Ecclesie clamantium contra ipsum, quas in aures Domini Sabaoth credimus introisse; et quamvis Romana Ecclesia doleat filium tanta educatum diligentia et magnificentia exaltum, nunc sic viliter sine marte victum, absque hoste prostratum, in tante confusionis opprobrium tam ignominiose dejectum, non minus gemit exterminium exercitus christiani qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam quod pars residua bellatorum exposita maris periculis et fluctibus tempestatum absque duce, preceptore vel principe ducitur quo ignorat, modicum profutura terre sancte utilitatibus; quibus debite consolationis solatium et opportune subventionis auxilium, impedientibus jam maris frementis procellis temporisque angustia, juxta votum non possumus ministrare. Plangit insuper excidium terre sancte quam nunc eripi de paganorum manibus sperabamus, quam olim, ut asseritur, recuperasset exercitus christianus per concambium Damiate, nisi ei semel et iterum imperialibus fuisset litteris interdictum. Qui etiam non fuisset conclusus in manibus paganorum si galearum imperatoris subsidium tunc fuisset, ut ex parte sua promissum extiterat et fieri potuit, subsecutum; nec Damiata perdita que, ut asseritur, suo tradita nuntio et aquilis imperialibus insignita, eadem die crudeliter expoliata et per suos deserta, viliter et ignominiose per ipsos fuit infidelibus restituta. Recurrit etiam ad rediviva suspira, et amissionem prescriptam recolens Damiate, tot laborum angustias, tot expensarum dispendia, tot mortes fidelium, tot excursus temporum que inutiliter effluxerunt subortis lacrymis deflere non cessat,

necdum est qui consuletur eam ex omnibus charis ejus et abstergat lacrymas a maxillis. Cum ergo vox ejus jam in Rama insonuerit, et Rachel non solum filios, sed hec omnia irremediabili lamentatione deploret, quis fidelium se a gemitibus et suspiriis continebit? quis filiorum cernens aquarum profluvia matris oculis proeduntia lacrymas non effundet? quis matris non compatietur angustiis nec immensis ejus doloribus condolebit? quis fidelium propter hoc non ardentius inflammabitur ad subsidium terre sancte, ne christiana juventus ex insperato casu prostrata penitus videatur et ignominiose animo consternata? nonne viri cordati et filii Jesu Christi debent ad subsidium terre sancte tanto fortius animari quanto ignominiam geminatam amplius resultare conspiciunt ex insperata ruina in patrem et filios, in Redemptorem atque redemptos, in Christum et populum christianum. Nos enim istud negotium tanto ardentius assumere affectamus, et profundiori consilio alta intendimus remedia invenire, quanto major incumbit necessitas et ex multis, conflata doloribus nostram grandis angustia mentem premit. Etsi enim Dominus populo suo modicum ostenderit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans qui prudentiam non est imitatus illorum per quos salus in Israel fieri consuevit, nondum tamen misericordie Domini sunt consumpte, nec ejus miserationes penitus defecerunt. Speramus namque in misericordia Dei nostri quod viam nobis ostendet per quam in hoc negotio prospere gradiamur, et viros secundum cor suum Ecclesie designabit qui precedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum christianum. Qua propter fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per apostolica

vobis scripta precipiendo mandantes quatenus hec clero et populis vobis comissis fideliter exponentes ac inducentes eosdem ut ad hec exequenda studeant suos animos preperare; ipsos ad vindicandam injuriam Jesu Christi sedulis exhortationibus invitetis ut cum ipsos apostolica Sedes habito maturiori tractatu sollicitandos providerit, promptos inveniat et paratos. Porro ne tanquam canes muti, non valentes latrare videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo qui tantam ruinam in Dei populo procuravit, imperatorem Fridericum qui nec transfretavit in termino, nec illuc in taxatis passagiis prescriptam pecuniam destinavit, nec duxit mille milites per biennium tenendos ibidem ad suum pro subsidio terre sancte, sed in his tribus articulis manifeste deficiens in excommunicationis descripte laqueum ultroneus se ingessit, excommunicatum quanquam inviti publice nuntiavimus, et mandamus ab omnibus arctius evitari, per vos et alios ecclesiarum prelatos ipsum excommunicatiem precipientes publice nuntiari, contra ipsum si contumacia ejus exegerit gravius processuri. Confidimus tamen adhuc in clementia pii Patris qui neminem vult perere quod ejus mentis oculi caligantes hoc ecclesiastico delibuti collyrio, sin non fuerit omnino rebellis, lumine poterunt illustrari, ut suam aspiciant nuditatem et ignominiam quam incurrit advertant; sicque recurrat ad medicum et ad matrem Ecclesiam revertatur per humilitatem debitam et satisfactionem congruam, salutis remedia recepturus. Nos enim ejus salutem in Domino, non interitum affectamus quem ab olim sincere dileximus, in minori etiam officio constituti.

Datum Anagnie, sexto idus octobris, pontificatus nostri anno primo.

LETTER OF FREDERICK II. TO KING OF ENGLAND (1227).

[Matt. Paris. Hist. maj. Anglor., H.-B., III. 48.]

"Inter ceteros catholicos reges litteras auro bullatas Anglorum regi transmisit, proponens in iisdem romanam Ecclesiam tantae jam avaritiae succensam incendio et concupiscentia manifesta quod bonis ecclesiasticis non sibi pro voto sufficientibus imperatores, reges et principes exhaeredare et tributarios constituere non veretur."

. . . Habeat autem de premissis rex Anglorum ex se ipso exemplum cujus patrem, regem scilicet Johannem, tamdiu excommunicatum tenuit quousque ipsum et regna ejus constituit sub tributo. Habeant etiam generaliter omnes idem exemplum de comite Tolosano et aliis principibus multis quorum terras et personas tamdiu sub interdicto concludere molitur, donec illos in consimilem redigat servitutem; simonias, exactiones diversas et a seculis inauditas quas in ecclesiasticas personas incessanter exercent, usuras manifestas et falliatas quibus hactenus incognitis totum mundum inficiunt, pretermittimus; sermones tamen super mel mellitos et super oleum mollitos . . . insatiabiles sanguisuge, dicentes curiam romanam esse Ecclesiam matrem nostram ac nutricem, cum sit curia pretaxata omnium malorum radix et origo, non maternos sed actus exercens novercales, ex cognitis fructibus suis certum faciens argumentum. Revolvant hic inclyti barones Anglie quos papa Innocentius bullatis litteris communitos animavit ut in regem Johannem quasi Ecclesie inimicum insurgerent obstinatum, sed postquam enormiter memoratus rex est incurvatus, et se suumque regnum Ecclesie romane

velut effeminatus mancipavit, predictus papa proceres quos prius sustinuit et excitaverat, postposito mundi pudore Dominique timore, conculcavit morti expositos et miserabiliter exheredandos ut more romano protervo hiatu quod pinguius erat, proh dator! absorberet; et factum est quod incitante Romanorum avaritia princeps provinciarum facta est sub tributo. Ecce mores Romanorum, ecce laquei prelatorum quibus universos et singulos querunt illaqueare, nummos emungere, liberos subjugare, pacificos inquietare, in vestibus ovium cum sint intrinsecus lupi rapaces; legatos huc et illuc mittentes, excommunicare, suspendere, punire potestatem habentes, non ut semen, id est verbum Dei, seminent fructificandum, sed ut pecuniam extorqueant, colligant et metant que nunquam seminaverunt. Sicque fit ut ecclesias sacras, pauperum refugia, sanctorum mansiones diripiant quas pii ac simplices patres nostri in refectionem pauperum ac peregrinorum et religiosorum sustentationem fundarunt, et nunc ad imperia et regna degeneres et ignobiles, quos sole littere faciunt insanire, ausu temerario contendunt anhelare. In paupertate quidem et simplicitate fundata erat Ecclesia primitiva, cum sanctos quos catalogus sanctorum commemorat fecunda parturiret: sed aliud fundamentum nemo potest ponere preter illud quod positum est a Domino Jesu ac stabilitum.[1] Porro quia in divitiis navigant, in divitiis volutantur, in divitiis edificant, timendum ne paries inclinetur Ecclesie, ne maceria depulsa ruina subsequatur. In nos etiam, novit scrutator omnium, injuste debacchantur dicentes nos nolle terminis transfretasse

[1] H.-B. calls attention to the fact that Frederick often recurs to this thought, especially after his deposition by the council of Lyons.

constitutis, cum multa nos de eo et Ecclesie et imperio inevitabilia ac ardua negotia preter infirmitatis incommoda detinebant: quorum primum fuit rebellium siculorum insolentia; nec videbatur nobis sanum fuisse consilium [et] expediens christianitati nos in terram sanctam transisse bellum intestinum post terga relinquentes, sicut nec medico, ferro infixo vulneri, fomentum adhibere medicine. . . .

"In conclusione quoque demum haec adjecit, exhortans orbis principes universos ut contra tantam sibi prospiciant avaritiam et iniquitatem quia:

"Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet."

THE PEACE OF SAN GERMANO (1230).

[Regestis Gregorii; M. G. H., LL. II. 269-276. H.-B., 207-220.]

[Chron. Ursp., an. 1229: Omni tempore, quamdiu denuntiabat eum papa excommunicatum, beneficium absolutionis humiliter . . . postulavit. Super causis vero, quae inter ipsum et papam vertebantur, diffiniendis advocavit principes Alemanniæ, ut venirent in Italiam, videlicet patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Salisburgensis, episcopus Ratisponensis, Leopoldus dux Austriae et dux Dalmatiae et Histriae. Quibus advenientibus imperatore manente apud Capuam tractatum est de pace et concordia inter imperium et sacerdotium et regnum Siciliae et de absolutione imperatoris, multis aliis mediantibus tam de curia Romana, quam etiam Italia et Alemannia. Sane haec compositio eum non posset perfici eo anno, dilata est usque in annum sequentem.]

I.

[July.] Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex. Notum faci-

mus universis, quod nos pro omnibus pro quibus excommunicati sumus, tactis sacrosanctis evangeliis juramus coram vobis, dominis Johanne venerabili episcopo Sabinensi et Thoma tituli sancte Sabine venerabili presbytero cardinali apostolice sedis legatis vice reverentissimi patris domini G. Dei gratia summi pontificis recipientibus, stare precise mandatis ecclesie et sine aliqua conditione secundum formam ecclesie. Ne igitur id revocetur in dubium, presens scriptum fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Data apud sanctum Germanum anno dominice incarnationis 1230. die mensis Julii tertie indictionis.

II.

[July.] Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis, quod nos remittimus omnem offensam et penam Theotonicis, Lombardis, Tuscis, et hominibus regni generaliter, et Gallicis et omnibus aliis, qui ecclesie contra nos adheserunt, et per Thomasium comitem Acerrarum dilectum fidelem nostrum facimus in anima nostra jurari, quod predictos nullo tempore offendemus, vel faciemus offendi, pro eo quod Romane ecclesie contra nos orta discordia astiterunt, et quod pacem ecclesie et eis observabimus. Remittimus etiam sententias, constitutiones, et banna, si qua per nos vel per alios lata vel edita sunt, occasione hujus modi contra eos. Promittimus etiam, quod terras ecclesie in Ducatu vel Marchia seu alio patrimonio ecclesie non invademus nec devastabimus per nos vel per alios. Ad cujus rei evidentiam presens scriptum fieri

et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Data apud sanctum Germanum anno dominici incarnationis 1230, die mensis Julii, tertie indictionis.

III.

Fridericus Dei gratia, etc. Per presens scriptum notum fieri volumus universis, quod inter sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem nostram et nos convenit, quod de communi voluntate tractabitur de via invenienda, qualiter ad nos cum honore ejusdem sancte matris ecclesie revertantur Gaietani et Sancta Agathensis civitates et omnes cum bonis suis de regno nostro Sicilie, quos ecclesia in sua fide recepit, et in ecclesie devotione perdurant, ad quem tractatum datus est annus, nisi ante via valeat inveniri. Ad quam inveniendam dicta mater ecclesia curam et sollicitudinem adhibere promisit, nec terminus nisi de consensu partium ulterius prorogabitur. Set si, quod absit, infra dictum terminum via inventa non fuerit, ex tunc per arbitros interim eligendos procedetur in via ut dictum est invenienda. Quorum duo sint ex parte ecclesie, et duo ex parte nostra. Qui si concordare non poterunt, quintum eligant, et dicto majoris partis stabitur. Prestamus itaque juramentum per Thomasium comitem Acerrarum dilectum fidelem nostrum in anima nostra et de mandato nostro jurantem, quod interim predictas terras et homines non offendemus in personis et rebus nec a nostris permittemus offendi, et viam que invenitur per comunem tractatum ejusdem matris ecclesie et nostrum vel per arbitrium observabimus. Ad cujus rei

evidentiam presens scriptum fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Data apud sanctum Germanum anno dominice incarnationis 1230, die mensis Julii tertie indictionis.

IV.

[July 23.] (Guarantee of above by Patriarch of Aquilea, Archbishop of Salzburg, Bishop of Regensburg, Dukes Leopold of Austria, Bernard of Carinthia, Otho of Meran.)

. . . Nos autem nihilominus tactis sacrosanctis evangeliis, juravimus procurare bona fide, quod predictus imperator predicta servabit, et contra ea non veniet. Quod si fieret, nisi infra tres menses in regnum, infra quatuor in Italiam, infra quinque extra Italiam duxerit emendandum, potenter ac patenter ad requisitionem ecclesie assistemus ei contra eundem dominum imperatorem, donec satisfecerit. Quod si per dominum imperatorem steterit, quod arbitros non elegerit, vel arbitros impediverit ne procedant, nos ecclesie tenebimur, ut est scriptum. Si autem ecclesia arbitros dare noluerit, vel datos impediverit, ne procedant, nos ex tunc quantum ad hunc articulum non tenebimur juramento. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri fecimus sigillis nostris communitum.

Data apud sanctum Germanum anno dominice incarnationis 1230, 23 die mensis Julii tertie indictionis.

V.

[Aug.] Fridericus Dei gratia, etc. Per presens scriptum notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod nos fecimus assignari in manibus

fratris Hermanni venerabilis magistri domus sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem fidelis nostri, castra subscripta, videlicet castrum Celi, Roccam Willielmi, Roccam de Bantra, Roccam Prestentiani, Roccam sancti Angeli de Rupe canina, Roccam Montis Dragonis, castrum Atini, et Petram de Tocco. Que omnia dictus magister tenebit nomine Romane ecclesie in expensis nostris, in cautionem scilicet et securitatem, quod nos dabimus fidejussoriam cautionem bona fide infra terminum octo mensium sub illa forma que in tractatu pacis continetur. Qua fidejussione prestita, idem magister resignabit nobis eadem castra vel cui nos preceperimus. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri fecimus et sigillo nostro jussimus communiri.

Data in castris prope Ceperanum, anno dominici incarnationis 1230, mense Augusto, tertie indictionis.

VI.

[Aug.] Fridericus Dei gratia, etc. Per presens scriptum notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod nos fecimus assignari in manibus L. venerabilis Regini archiepiscopi dilecti familiaris nostri et . . . . Regini episcopi nostrorum fidelium, subscripta castra, videlicet Suesse, Caiacie, Magdalonis, et Roccam capue, que predicti fideles nostri archiepiscopus et episcopus tenebunt nomine ecclesie Romane in expensis nostris, in cautionem scilicet et securitatem, quousque restituantur eidem Romane ecclesie ea que nos tenemus in Marchia et Ducatu, et compleantur omnes restitutiones que secundum formam tractatus debebant fieri ante absolutionem nostram, videlicet de possessionibus et mobilibus extantibus. Quibus restitutionibus adim-

pletis, iidem archiepiscopus et episcopus resignabunt nobis castra predicta vel cui nos preceperimus. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Data in castris prope Ceperanum, anno dominice incarnationis 1230, mense Augusto tertie indictionis.[1]

VII.

[Aug. 27.] Nos Eberhardus Dei gratia Salzburgensis archiepiscopus et Sifridus Ratisponensis episcopus, ad communem notitiam omnium deducimus, quod dominus imperator super articulo de collectis et talliis litteras in forma suscripta confecit per omnes partes regni Sicilie destinandas. "Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex, justitiariis, comitibus, baronibus, camerariis, bajulis, et universis officialibus per terram Laboris constitutis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Fidelitati vestre sub obtentu gratie nostre mandamus firmiter precipientes, quatinus nullus sit qui deinceps tallias seu collectas imponat ecclesiis monasteriis, clericis seu personis ecclesiasticis, vel rebus eorum, salvis debitis servitiis ad que certe ecclesie ac persone nobis noscuntur esse specialiter obligate. Data in castris prope Ceperanum 23 Aug., 3 indict." In cujus rei testimonium presentes litteras scripsimus et sigillis nostris fecimus communiri.

Data apud Ceperanum 6 Kal. Sept.

[1] This was also guaranteed by same ecclesiastics and dukes, with exception of Leopold of Austria, as were I., II., and III.

VIII.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex, justitiariis, comitibus, baronibus, militibus, camerariis, bajulis et universis officialibus per totum justitiariatum Barensem et Basilicatam constitutis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Mandamus et precipimus, quatinus nullus de cetero clericus seu persona ecclesiastica conveniatur civiliter seu criminaliter coram judice seculari, nisi civiliter super feodis.

Data in castris prope Ceperanum, 28 Aug. 3 indict.

IX.

[Aug. 28.] Nos Dei gratia Arelatensis archiepiscopus Wintoniensis et Beluacensis episcopi requisiti a venerabilibus patribus Johanne Dei gratia episcopo Sabiensi et Thoma tituli sancte Sabine presbytero cardinali apostolice sedis legatis, ut super hiis que de processu ipsorum in negotio absolutionis domni imperatoris audivimus et vidimus testimoniales litteras scriberemus, ad communem deducimus notitiam, quod predicti domini legati domino imperatori fecerunt mandata subscripta in hunc modum. "Nos Johannes Dei gratia Sabinensis episcopus et Thoma eadem gratia tituli sancte Sabine presbyter cardinalis apostolice sedis legati, auctoritate domini pape mandamus domino imperatori, quod non impediat per se vel per alium quin electiones, postulationes et confirmationes ecclesiarum, monasteriorum in regno libere fiant decetero secundum statuta concilii generalis. Item ut comitibus Celanensibus et filiis quondam Rainaudi de Aversa satisfaciat secundum formam compositionis

in hiis pro quibus ecclesia fidejussit. Item ut satisfaciat de mobilibus, injuriis, dampnis illatis Templariis, Hospitaliis et aliis personis ecclesiasticis, terminis competentibus ab ecclesia assignandis. Item quod a die absolutionis usque ad octo menses caveat ecclesie bona fide per fidejussores idoneos et juratos, principes, comites et barones Theutonie, et comites et barones Theutonie, et comunia civitatum Lombardie, Tuscie, Marchie et Romagnole, et earumdem provinciarum marchiones, comites et barones quos ecclesia nominabit, que ad requisitionem ecclesie teneantur assistere ecclesie contra illum, donec satisfaciat, si mandata ecclesie non servaverit, vel pacem fregerit, seu terram ecclesie vel eorum terras quas ecclesia tenet ad manus suas vel personas eorum ceperit occuparit vel devastarit, et infra tres menses si fuerit in regno, si in Italia infra quatuor, si autem extra Italiam infra quinque ea non duxerit emendanda; et super hoc dabunt ecclesia cartas suas suo sigillo munitas. Injungimus quoque ei quod infra quindecim dies certum nuntium mittat ad curiam, qui recipiat nomina illorum quorum fidejussionem requiret ecclesia. Hec autem omnia supradicta mandamus ei, omnibus cautionibus in sua integritate manentibus olim prestitis pro negotio Terre sancte, ut pro illo satisfaciat secundum quod ecclesia ordinabit. Si quid autem a nobis per occupationem vel incuriam est omissum de hiis que mandare debuimus, domino Pape reservetur." Ad hec protestationem quandam fecerunt in hunc modum. "Protestamur quod dominus Papa vult sibi restitui expensas quas extra regnum coacta est ecclesia facere pro ecclesiasitica libertate ac beati Petri patrimonio conservandis." Excommunicationis quoque sententiam

pronunciaverunt sub hac forma. "Si dominus imperator prout injunctum est ei, per fidejussores non caverit bona fide; si viam pacis que invenietur per communem contractum vel per arbitrium, prout in forma compositionis continetur, non observaverit; si terram ecclesie vel terras eorum quos ecclesia tenet ad manus suas vel personas eorum ceperit, occuparit seu devastarit; ipso facto sententiam excommunicationis, incurrat quam ex nunc in ipsum ferimus auctoritate domini pape.

Acta sunt hec apud Sanctam Justam juxta Ceperanum, anno Domini 1230, in festo sancti Augustini.

X.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex . . . illustri regi karissimo amico suo, salutem et sincere dilectionis affectum. Cum frequenter et dudum cor vestrum fuerit conturbatum super hiis quetum per apostolicas litteras tum per nostras de turbatione communi ubique terrarum exierant, consequens est et dignum, ut vos reformate pacis nova letificent et omnis que potuit inhesisse turbatio sopiatur. Noveritis igitur, quod per illius gratiam qui procellam convertit in auram, et dissidentium mentes in unam conciliat voluntatem, facto publice ac solemniter, sicut a catholico principe fieri debuit, quod forma Ecclesie requirebat, vigesimo octavo preteriti mensis augusti per venerabilis viros apostolice sedis legatos Johannem Sabinensem episcopum et magistrum Thomam tituli Sancte Sabine presbyterum cardinales, presentibus principibus et diversarum gentium multitudine infinita, cum generali totius christianitatis tripudio fuimus absoluti. Deinde, ut post absolutionem ex omni pre-

sentia corporum, mentium serenitas gratius sequeretur, primo Septembris apostolicam sedem adivimus et sanctissimum patrem dominum Gregorium Dei gratia summum pontificem vidimus reverenter. Qui affectione paterna nos recipiens, et pace cordium sacris oculis federata, tam benevole, tam benigne propositum nobis sue intentionis aperuit de ipsis que precesserant, nil omittens, et singula prosequens evidentis judicio rationis, quod etsi nos precedens causa commoverit, vel rancorem potuerit aliquem attulisse, sic benevolentia, quam persensimus in eodem, omnem motum lenivit animi, et nostram amoto rancore serenavit adeo voluntatem, ut non velimus ulterius preterita memorari, que necessitas intulit, ut virtus ex necessitate prodiens operaretur gratiam ampliorem. Remisimus autem specialiter singulis, et generaliter universis, qui contra nos olim summo pontifici adheserunt, et in iis et aliis que sibi grata fuerunt, apostolice condescendimus voluntati; habentes eum in omni reverentia, qua sibi tanquam unico et universali patri tenemur, et nos ei pro devoto ecclesie filio exhibentes in eo vinculo charitatis, quo sacerdotium et imperium ad invicem sunt conjuncta. Super quibus omnibus quia vos cupimus nostrorum esse participem gaudiorum, dilectionem vestram plene certam fieri volumus et jocundum.

LAST EXCOMMUNICATION OF FREDERICK II. (1239).

[H.-B., V. 286.]

Excommunicamus et anathematizamus auctoritate Patris et Filii et Spiritus Sancti et beatorum Aposto-

lorum Petri et Pauli et nostra Fredericum dictum imperatorem, pro eo quod contra Romanam Ecclesiam seditionem movit in Urbe, per quod intendit pontificem et fratres a sua Sede repellere, contra privilegia dignitatis et honoris Apostolice Sedis, contra libertatem ecclesiasticam, contra juramentum quo super hoc tenetur Ecclesie temere veniendo. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem, pro eo quod venerabilem fratrem nostrum Prenestinum episcopum, Apostolice Sedis legatum, ne in sua legatione procederet quam in Albigensium partibus pro corroboratione catholice fidei sibi commisimus, per quosdam fideles suos impediri mandavit. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod non permittit quosdam cathedrales ecclesias et alias vacantes ecclesias in regno reparari et hoc occasione periclitatur libertas Ecclesie, perit fides, quia non est qui proponat verbum Dei nec qui regat animas deficiente pastore. Et sunt nomina dictarum ecclesiarum vacantium: Cathaniensis, Reginensis, Acheruntiensis, Squillacensis, Rubensis, Potentinensis, Hydrontinensis, Policastrensis, Sarnensis, Aversanensis, Valvensis, Monopolitensis, Polinanetensis, Melfiensis, Rapellensis, Cariatensis, Alifanensis, Mazarensis, Vigiliarensis et Fricentinensis episcopatus: monasteria vero sunt ista Venusinum et Sancti Salvatoris Messanensis. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod in regno clerici capiuntur et incarcerantur, proscribuntur et occiduntur. Item quod in regno Ecclesie Domino consecrate destruuntur et prophanantur. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod non permittit Soranam ecclesiam reparari. Item excommunicamus et anathematizamus eumdum

pro eo quod nepotem regis Tunicii venientem ad Ecclesiam Romanam pro suscipiendo baptismatis sacramento, detinet nec venire permisit. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod Petrum Saracenum, nobilem civem Romanum, ex parte regis Anglie ad Sedem Apostolicam venientem cepit et detinet carceri mancipatum. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod terras Ecclesie, scilicet Ferrariam, Pigognanam, Bondenum, Ferrariensem diocesim et Bondenensem, Lucanensem diocesim et terram Sardinie occupavit, contra juramentum quo super hoc Ecclesie tenetur temere veniendo. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod terras quorumdam nobilium de regno quas Ecclesia tenebat, ad manus suas occupavit et devastavit. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod quasdam ecclesias cathedrales, videlicet Mons Regalis, Cephaledensis, Cathaniensis, Squillacensis, et quedam monasteria, videlicit Militensis, Sancti Eufemie, Terre Majoris et Sancti Joannis in Lamis, bonis suis spoliavit. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod multe ecclesie cathedrales et alie ecclesie et monasteria de regno per iniquam inquisitionem fuerunt fere bonis omnibus spoliate. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod in regno Templarii et Hospitalarii mobilibus et immobilibus spoliati non sunt juxta tenorem pacis integre restituti. Item pro eo quod tallie et exactiones contra formam pacis ab ecclesiis et monasteriis per ipsum extorquentur in regno. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod in regno ecclesiarum prelati et abbates Cistercienses et aliorum ordinum compelluntur

per singulos menses dare certam pecunie pro constructione castrorum novorum. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod contra tenorem pacis si qui adheserunt Ecclesie, bonis omnibus spoliati exulare coguntur tanquam proscripti, uxoribus et liberis captivatis. Item excommunicamus et anathematizamus eumdem pro eo quod per ipsum impeditur negotium Terre Sancte et reparatio imperii Romanie. Omnes autem qui juramento fidelitatis ei tenentur astricti ab ejusdem observatione juramenti decernimus absolutos, ne sibi fidelitatem observent districtus inhibentes quamdiu fuerit vinculo excommunicationis astrictus. Super oppressionibus vero et aliis gravaminibus nobilium, pauperum, viduarum, orphanorum et aliorum de regno, pro quibus idem Fredericus alias juravit stare mandatis Ecclesie, ipsum intendimus admonere et in ipso negotio, dante Domino, procedemus sicut juste fuerit procedendum. Porro pro omnibus et singulis supradictis pro quibus dictus Fredericus a nobis diligenter fuit admonitus et frequenter nec parere curavit, eumdem Fredericum excommunicationis et anathematis vinculo innodamus. Ceterum quia idem Fredericus de dictis et factis suis, multis clamantibus per universam quasi orbem quod de catholica fide recti non sentiat, est graviter diffamatus, nos dante Domino super hoc loco suo et tempore procedemus, secundum quod in talibus requirit ordo juris.

THE DEPOSITION OF FREDERICK II. BY THE COUNCIL OF LYONS (July 17, 1245).

[H.-B., VI. 319.]

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, sacro presente consilio, ad rei memoriam sempiternam. Ad apostolice dignitatis apicem, licet indigni, dignatione divine majestatis assumpti, omnium christianorum curam vigili sedulaque solercia gerere ac intime considerationis oculo singulorum discernere merita ac provide deliberationis statera librare debemus; ut quos justi vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus favoribus; quos autem reos, penis debitis deprimamus; adpendentes semper meritum et premium equa lance, retribuendo cuique juxta qualitatem operis pene vel gratie quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis christiane provincias diucius afflixisset, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem et pacem Ecclesie sancte Dei ac generaliter cuncto populo christiano restituere et reducere, ad Fredericum precipuum principem secularem, hujusmodi dissentionis et tribulationis actorem, a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios magne auctoritatis viros, videlicet venerabiles fratres nostros P. Albanensem, tunc Rothomagensem archiepiscopum, et W. Sabinensem tunc, quondam Mutinensem, episcopos ac dilectum filium nostrum Guillelmum Basilice duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, tunc abbatem Sancti Facundi, qui salutem zellabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod

nos et fratres nostri quantum in nobis erat, pacem per omnia secum habere nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati semper pacem sibi et tranquillitatem dare ac mundo etiam universo. Et quia prelatorum, clericorum omniumque aliorum quos detinebat captivas et omnium tam clericorum quam laycorum quos ceperat in galeis restitucio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum ut illos restitueret, cum hoc idem tam ipse quam sui nuncii antequam ad apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari et peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper quod iidem pro nobis parati erant audire et tractare pacem ac etiam audire satisfactionem quam facere vellet princeps de omnibus pro quibus vinculo excommunicationis erat astrictus, et offerri preterea quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitum leserat, quod non credebat, parata erat corrigere ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse quod in nullo contra justitiam leserat Ecclesiam vel quod nos eum contra justiciam lesissemus, parati eramus vocare reges, prelatos et principes tam ecclesiasticos quam seculares ad aliquem tutum locum, ubi per se vel sollempnes nuncios convenirent. Eratque parata Ecclesia de consilio consilii sibi satisfacere si eum lesisset in aliquo, ac revocare sentenciam si quam contra eum injuste tulisset, et cum omni mansuetudine ac misericordia, quantum cum Deo et honore suo fieri poterat, recipere de injuriis et offensis ipsi Ecclesie suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos sibique adherentes in pace ponere plenaque securitate gaudere, et nunquam hac occasione possent aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis et precum isistere curaverimus lenitate,

idem tamen Pharaonis imitatus duriciam et obturans more aspidis aures suas, hujusmodi preces et monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die Cene Domini proximo nuper preteritam precedente, coram nobis et fratribus nostris cardinalibus, presentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri, cetu quoque non modico prelatorum, senatoribus quoque populi Romani et maxima multitudine aliorum qui eadem die propter sollempnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad Apostolicam sedem convenerant, quod staret nostris et Ecclesie mandatis per nobilem virum comitem Tholosanum et magistros Petrum de Vinea et Taddeum de Suessa, curie sue judices, nuncios et procuratores suos speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, prestiterit juramentum, postmodum tamen quod juraverat non implevit; quin immo ea intentione ipsum prestitisse juramentum probabiliter credetur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, ut eidem Ecclesie ac nobis illuderet pocius quam pareret, cum anno et amplius jam elapso nec ad ipsius Ecclesie gremium revocari potuerit nec sibi de illatis ei dampnis et injuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod nolentes absque gravi Christi offensa ejus iniquitates amplius tollerare, cogimur urgente nos conscientia juste animadvertere in eumdem, et ut ad presens de ceteris ejus sceleribus taceamus, quatuor gravissima que nulla possunt cellari tergiversatione, commisit. Dejeravit enim multociens pacem quondam inter Ecclesiam et imperium reformatam temere violando; perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sancte Romane Ecclesie ac aliarum ecclesiarum prelatos et clericos re-

ligiosos et seculares venientes ad concilium quod idem predecessor duxerat convocandum; de heresi quoque non dubiis et levibus, sed difficilibus et evidentibus argumentis suspectus habetur. Plurima si quidem eum commisse perjuria satispatet. Nam olim cum in Sicilie partibus morabatur, prius quam esset ad imperii dignitatem electus, coram bone memorie G. Sancti Theodori diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, felicis recordationis Innocentio pape predecessore nostro et successoribus ejus Ecclesieque Romane pro concessione regni Sicilie ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis prestitit juramentum, et sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit et venit ad Urbem, coram eodem Innocentio suis que fratribus cardinalibus et aliis multis presentibus ligium hominium in ejus faciens manibus innovavit. Deinde cum in Alamania esset, eidem Innocentio et ipso defuncto, bone memorie Honorio pape predecessori nostro et ejus successoribus ac ipsi Ecclesie Romane, presentibus imperii principibus atque nobilibus, juravit honores, jura et possessiones Romane [Ecclesie] pro posse suo servare ac protegere bona fide, et quodcumque ad manus suas pervenerit sine difficultate procuraret restituere, nominatis expressim dictis possessionibus in hujusmodi juramento, quod postmodum confirmavit coronam imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temarius extitit violator, non sine proditionis nota et lese crimine majestatis. Nam contra prefatum predecessorem Gregorium et fratres suos comminatorias litteras eisdem fratribus destinare ac dictum Gregorium apud fratres suos, sicut apparet per litteras ab eodem tunc directas eisdem, et etiam prout fertur per universum fere orbem terrarum, multipliciter diffamare

presumpsit, ac venerabilem fratrem O. Portuensem, tunc Sancti Nicholai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, et bone memorie J. Prenestinum episcopos, Apostolice Sedis legatos, nobilia et magna Ecclesie Romane membra, personaliter capi fecit et bonis omnibus spoliatos ac per diversa loca non semel ignominiose deductos carceribus mancipari. Privilegium insuper quod beato Petro et successoribus ejus in ipso tradidit Dominus Jhesus Christus, videlicet: "Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in celis," in quo utique auctoritas et potestas Ecclesie Romane consistit, pro viribus diminuere vel ipsi Ecclesie aufferre sattegit, scribens se prefati Gregorii sententiam non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum non solum contemptis Ecclesie clavibus non servando, verum etiam per se ac officiales suos et illam et alias excommunicationis vel interdicti sententias quas idem omnino contempsit, cogendo alias non servare. Possessiones quoque prefate Romane Ecclesie, videlicet Marchiam, ducatum, Beneventum cujus muros et turres dirui fecit, ac alias quas in Tuscie ac Lombardie partibus et quibusdam aliis optinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas, et tanquam ei non sufficeret quod manifeste contra juramenta premissa presumendo talia veniebat, per se vel suos officiales earumdem possessionum homines dejerare compulit, ipsos a juramentis fidelitatis quibus Romane tenebantur Ecclesie, de facto, cum de jure non posset, absolvens, et faciens eosdem fidelitatem nichilominus abjurare praedictam, sibique fidelitatis cujusmodi juramenta prestare. Pacis vero violatorem existere plene constat, quia cum olim

tempore pacis inter ipsum et Ecclesiam reformate jurasset coram bone memorie I. de Abbatis Villa episcopo Sabinensi et magistro Thomasio tituli Sancte Sabine presbitero cardinali, presentibus multis prelatis, principibus et baronibus quod staret et pararet precise absque ulla condicione omnibus mandatis Ecclesie super hiis pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis ejusdem expressis per ordinem coram eo, tunc omnibus Theotonicis, hominibus regni Sicilie ac quibus libet aliis qui Ecclesie contra ipsum adheserant, omnem remittens offensam et penam, et quod nullo tempore offenderet vel offendi faceret ipsos pro eo quod Ecclesie astiterant, prestari in anima sua per comitem Acerrarum faciens juramentum, postmodum pacem et juramenta hujusmodi, nequaquam erubescens irretiri perjuriis, non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus tam nobilis quam alios postea capi et incarcerari fecit et eis bonis suis omnibus spoliatis uxores eorum et filios captivari, ac insuper terras Ecclesie contra promissionem quam eisdem I. Sabinensi episcopo et T. Cardinali fecerat, irreverenter invasit, licet ipsi ex tunc in eum presentem si ullomodo predictis articulis aut conditionibus contra veniret, excommunicationis sententiam promulgarent. Et cum iidem apostolica ei auctoritate mandassent ut nec per se nec per alium impediret quin postulationes, electiones et confirmationes ecclesiarum et monasteriorum in regno prefato libere de cetero fierent secundum statuta concilii generalis, et quod nullas deinceps in eodem regno viris ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret talias vel collectas, quodque nullus clericus ibidem vel persona ecclesiastica de cetero in civili vel criminali causa conveniretur coram judice

secularі, nisi super feodis questio civiliter haberetur, ac Templariis et Hospitalariis et aliis personis ecclesiasticis de dampnis et injuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter; ipse mandatum hujusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim aut plures archiepiscopales et multas episcopales sedes, abbatias quoque ac alias ecclesias ad praesens in regno vacare predicto, easque procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius prelatorum regimine destitutas in grave ipsarum prejudicium et periculum animarum, et licet forte in aliquibus ejusdem regni ecclesiis electiones sint a capitulis celebrate, quia tamen per illa ejusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates et bona fecit prout voluit occupari, sed etiam cruces, thuribula, calices et alios earum sacros thesauros et pannos sericos velut cultus divini contemptor aufferri, licet ut dicitur ipsis ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo precio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis et talliis multipliciter afflinguntur, nec solum trahuntur ad judicem secularem, sed, ut asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur et patibulis cruciantur in confusionem et obprobrium ordinis clericalis. Prefatis autem Templariis et Hospitalariis et personis ecclesiasticis non est de dampnis illatis eisdem et injuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratorem. Nam cum praefati Portuensis et Prenestinus episcopi et quam plures ecclesiarum prelati et clerici tam religiosi quam seculares ad Apostolicam Sedem pro celebrando concilio quod ipse prius petierat convocari, per mare venirent, viis ipsi terre de mandato

ejus omnino preclusis, idem destinato Encio filio suo cum multitudine galeraum et per alias quamplures longe antea serio preparatas, in partibus Tuscie maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere preconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prelatorum ipsorum et aliis in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis et aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis omnibus spoliatis et de loco ad locum in regno Sicilie obprobriose deductis ac ibidem duris carceribus mancipatis; quorum aliqui macerati squaloribus et inedia pressi miserabiliter defecerunt. Merito insuper contra eum de heretica pravitate suspitio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a prefatis I. Sabinensi episcopo et T. cardinali prolatam incurreret et dictus papa Gregorius ipsum anathematis vinculo innodaverit, claves Ecclesie contempserit et contempnat, sibi faciens celebrari vel pocius quantum in eo est prophanari divina, et constanter asseruit ut superius est narratum se prefati Gregorii pape sentencias non vereri. Preterea conjunctus amicicia detestabili Sarracenis, nuncios et munera pluries destinavit eisdem et ab eisdem vicissim omni honorificentia et ylaritate recepit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in cottidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenens; eorumdem etiam more, uxoribus quas habuit de stirpe regia descendentibus eunuchos, precipue quos ut dicitur serio castrari fecerat, non erubuit deputare custodes. Et quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, immo collusione verius cum Soldano, Machometi nomen in templum Domini diebus et noctibus publice proclamari permisit. Et nuper nuncios Soldani Babi-

lone, postquam idem Soldanus Terre Sancte ac christianis habitoribus ejus per se et suos dampna gravissima et inextimabiles injurias irrogarat, fecit per regnum Sicilie cum laudibus ad ejusdem Soldani excellentiam, sicut fertur, honorifice suscipi et magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis et horrendis obsequiis contra fideles abutens et illis qui dampnabiliter vilipendentes Apostolicam Sedem ab unitate Ecclesie discesserunt, procurans affinitate ac amicicia copulari, clare memorie ducem Bavarie specialem Ecclesie Romane devotum fecit, sicut pro certo asseritur, christiana religione despecta, per Assassinos occidi, et Vatacio Dei et Ecclesie inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adjutoribus et consiliatoribus et fauctoribus suis sollempniter separato, filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum vero principum actus et mores respuens, neglecta salutis sue et fame integritate, pietatis operibus non intendit. Quinimo ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manu ejus ut decet principem christianum ad elemosinas non extenta, cum destructioni ecclesiarum institerit et religiosas ac alias ecclesiasticas jugiter attriverit afflictione et persecutione personas; nec ecclesias nec monasteria, seu alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hec non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicione heresis contra eum, cum tamen hereticorum vocabulo illos jus civile contineri asserat et latis adversus eos sentenciis debere subcumbere qui vel levi argumento a judicio catholice religionis et tramite detecti fuerint deviare. Preter hoc regnum Sicilie quod est speciale patrimonium beati Petri, et idem princeps ab

Apostolica Sede tenebat in feodum, jam ad tantam in clericis et laycis exinanitionem servitutemque redegit quod eis pene penitus nichil habentibus et omnibus exinde fere probis ejectis, illos qui remanserunt ibidem sub servili quasi condictione vivere ac Romanam Ecclesiam cujus principaliter sunt homines et vasalli, offendere multipliciter et hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi quod mille squifatorum annuam pensionam in qua pro eodem regno ipsi Ecclesie Romane tenetur, per novem annos et amplius solvere pretermisit. Nos itaque super premissis et quam pluribus aliis ejus nephandis excessibus cum fratribus nostris et sacro consilio deliberatione prehabita diligenti, cum Jhesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisque in beati Petri apostoli persona sit dictum: "Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in celis," memoratum principem qui se imperio et regnis omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates atque scelera a Deo ne regnet vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis et abjectum omnique honore ac dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus ac nichilominus sentenciando privamus; omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur astricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes; auctoritate apostolica firmiter inhibendo ne quisquam de cetero sibi tanquam imperatori ac regi pareat vel intendat et decernendo quoslibet qui deinceps ei velut imperatori aut regi consilium vel auxilium prestiterint vel favorem, ipso facto vinculo excommunicationis subjacere. Illi autem ad quos in eodem imperio imperatoris spectat electio, eligant libere alium in ejus locum successorem. De prefato vero Sicilie regno pro-

videre curabimus cum eorumdem fratrum nostrorum cardinalium consilio, sicut viderimus expedire.

Datum Lugduni, XVI Kalendas augusti, pontificatus nostri anno tercio, anno ab incarnatione Domini M. CC. XLV, indictione III.

APPENDIX I.

THE PEACE OF CONSTANCE (1183).

[M. G. H., LL. II. 175.]

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus, et Heinricus sextus, filius ejus, Romanorum rex et semper augustus. Imperialis clementiae mansueta serenitas eam semper in subditis suis dispensationem favoris et gratiae habere consuevit, ut, quamvis districta severitate excessuum delicta debeat et possit corrigere, magis tamen studeat propitia tranquillitate pacis et piis affectibus misericordiae Romanum imperium regere et rebellium insolentiam ad debitam fidem et debitae devotionis obsequium revocare. Ea propter cognoscat universitas fidelium imperii tam praesentis aetatis quam successurae posteritatis, quod nos solita benignitatis nostrae gratia ad fidem et devotionem Lombardorum, qui aliquando nos et imperium nostrum offenderant, viscera innatae nobis pietatis aperientes, eos et societatem eorum ac fautores in plenitudinem gratiae nostrae recepimus, offensas omnes et culpas, quibus nos ad indignationem provocaverant, clementer eis remittentes eosque propter fidelia devotionis suae servitia, quae nos ab eis credimus certissime recepturos, in numero dilectorum fidelium nostrorum computandos censemus. Pacem itaque nostram, quam eis clementer indultam concessimus, praecenti pagina jussimus subterscribi et auctoritatis nostrae sigillo communiri. Cujus hic est tenor et series.

1. Nos Romanorum imperator Fridericus et filius noster Heinricus Romanorum rex concedimus vobis, civitatibus, locis et personis societatis, regalia et consuetudines vestras tam in civitate quam extra civitatem, videlicet Veronae et castro ejus et suburbiis et aliis

civitatibus, locis et personis societatis in perpetuum, videlicet ut in ipsa civitate omnia habeatis, sicut hactenus habuistis vel habetis.

2. Extra vero omnes consuetudines sine contradictione nostra exerceatis, quas ab antiquo exercuistis vel exercetis.

3. Scilicet in fodro et memoribus et pascuis et pontibus et aquis et molendinis, sicut ab antiquo habere consuevistis vel habetis, in exercitu, in munitionibus civitatum, in jurisdictione, tam in criminalibus causis quam in pecuniariis, intus et extra, et in ceteris, quae ad commoditatem spectant civitatum.

4. Volumus, ut regalia, quae vobis concessa non sunt, in hunc modum cognoscantur. Episcopus loci et homines tam de civitate quam de episcopatu eligantur, viri bonae opinionis et qui ad hoc idonei esse credantur, tales qui nec contra civitatem nec contra nostram magistatem privato vel speciali odio teneantur. Qui jurent, quod bona fide et sine fraude perquirent et inquisita consignabunt ea, quae specialiter ad nostram spectant excellentiam. Si autem huic inquisitioni supersedendum esse putaverint, sensum duorum millium marcharum argenti per singulos annos petimus. Attamen competenti moderatione moderabimur etiam quantitatem istam, si enormis visa fuerit.

5. Si quis autem super his, quae vobis concessimus vel permisimus sive in civitate sive extra civitatem, querimoniam apud majestatem nostram deposuerit, ejus querimoniam non admittemus et silentium ei imponemus.

6. Hoc, quod nos antecessor noster, rex vel imperator, episcopis, ecclesiis vel civitatibus vel aliis quibuscumque personis, clericis vel laicis, ante tempus guerrae dedit vel quolibet concessionis titulo concessit, firmum et ratum habemus, salvis superioribus concessionibus. Et pro eo solita servitia nobis exhibeantur, sed census non praestetur.

7. Commoditates quas pro bono pacis civitatibus concessimus in civitate vel extra, illorum regalium nomine non intellegimus, pro quibus census debet praestari.

8. Privilegia omnia et data et concessiones, quae in praejudicium et damnum civitatum vel locorum vel personarum societatis occasione guerrae in injuriam alicujus praedictorum a nobis vel a nuntiis nostris indulta sunt, cassentur et in irritum deducantur.

9. In civitate illa, in qua episcopus per privilegium imperatoris vel regis comitatum habet, si consules per ipsum episcopum consulatum recipere solent, ab ipso recipiant, sicut recipere consueverunt. Alioquin unaquaeque civitas a nobis consulatum recipiet. Consequenter, prout in singulis civitatibus consules constituentur, a nuntio nostro, qui sit in civitate vel episcopatu, investituram recipient. Et hoc usque ad quinquennium. Finito quinquennio unaquaeque civitas mittat ad nostram praesentiam nuntium pro recipienda investitura. Et sic in posterum, videlicet ut finitis singulis quinquenniis a nobis recipiant et infra quinquennium a nuntio nostro, sicut dictum est, nisi in Lombardia fuerimus; tunc enim a nobis recipient.

10. Eadem observentur in successore nostro. Et omnes investiturae fiant gratis.

11. Cum autem nos imperator divina vocatione decesserimus vel regnum filio nostro concesserimus, simili modo a filio nostro vel ejus successore investituram recipietis.

12. In causis appellationum, si quantitas viginti quinque librarum imperialium summam excedat, appellatio ad nos fiat, salvo jure et moribus Brixiensis ecclesiae in appellationibus: ita tamen, ut non cogantur in Alamanniam ire, sed nos habebimus proprium nuntium in civitate vel episcopatu, qui de ipsa appellatione cognoscat et juret, quod bona fide et sine fraude causas examinabit et diffiniet secundum mores et leges illius civitatis infra duos menses a contestatione litis vel a tempore appellationis receptae, nisi justo impedimento vel consensu utriusque partis remanserit.

13. Consules, qui in civitatibus constituentur, tales sint, qui fidelitatem fecerint nobis vel faciant, antequam consulatum recipiant.

14. Vassalli nostri a nobis investituram accipiant et fidelitatem faciant, sicut vassalli. Cateri omnes, sicut cives, a quindecim annis usque ad septuaginta, nisi sint tales personae, quibus debeat et possit sacramentum remitti sine fraude.

15. Vassalli, qui tempore guerrae vel treugae non postulaverunt investituram vel debita servitia nobis non exhibuerunt, hac occasione feudum non amittant.

16. Libellariae et precariae in suo statu permaneant secundum consuetudinem unius cujusque civitatis, non obstante lege nostra, quae dicitur imperatoris Friderici.

17. Damna omnia et ablata et injurias, quas nos per nos et per nostros ab universitate societatis vel ab aliquo de societate vel coadjutoribus societatis sustinuimus, et per nos et per nostram partem gratis remittimus et plenitudinem nostrae gratiae eis damus.

18. Moram superfluam in civitate vel episcopatu pro damno civitatis non faciemus.

19. Civitates munire et extra munitiones eis facere liceat.

20. Item societatem, quam nunc habent, tenere et, quotiens voluerint, renovare eis liceat.

21. Pactiones timore nostro vel impressione nuntiorum nostrorum factae pro infectis habeantur, nec pro eis aliquid exigatur, puta Placentinorum, scilicet pactum pontis Padi et fictum ejusdem pontis et regalium et datum et pactum, quod episcopus Hugo fecit de castro Arquato, et si qua alia similia sunt facta ab ipso episcopo vel a communi vel ab aliis de societate nobiscum vel nuntio nostro, ipso ponte remanente cum omnibus suis utilitatibus Placentinis: ita tamen, quod teneantur semper solvere fictum abbatissae Sanctae Juliae de Brixia. Et si quae aliae sunt similes.

22. Sententiae quoque, quae de jure et secundum leges et consuetudines contra aliquem vel aliquos de societate latae sunt, teneant, si tamen de jure contra eos tenerent, si gratiam nostram habuissent.

23. Quae vero contra aliquem vel aliquos de societate latae sunt occasione guerrae vel discordiae ecclesiae, in irritum deducantur.

24. Possessiones, quas quisque de societate ante tempus guerrae juste tenebat, si per vim ablatae sunt ab his, qui non sunt de societate, sine fructibus et damno restituantur; vel si eas recuperavit, quiete possideat, nisi per electos arbitros ad cognitionem regalium nobis assignentur.

25. Opizioni marchioni omnem offensam, quam nobis vel alicui nostrae partis fecit, postquam in societate fuit, per se vel per aliquam personam cum societate vel defendendo aliquem de societate, imperiali clementia per nos et nostram partem ei remisimus et in plenitudinem nostrae gratiae eum recipimus. Nec per nos nec per interpositam personam pro praeteritis offensis sibi vel parti ejus aliquam inferemus injuriam, laesionem vel coactionem.

26. Amplius eam jurisdictionem, quam Mediolanses exercere consueverunt in comitatibus Seprii et Martexanae et Burgariae et

in aliis comitatibus, exceptis locis, quae Pergamenses modo per commune tenent inter Aduam et Ollium, et excepto Romano veteri et Bariano, et eam, quam modo exercent, libere et quiete habeant et possideant sine contradictione nostra et successorum nostrorum: salvis pactis et datis et concessionibus in suo robore durantibus, quae per commune Mediolanenses fecerunt civitatibus Pergami, Novariae, Laudi, nec propter hanc concessionem laedendis.

27. Nec ullum praejudicium fiat juri aut consuetudini alicujus civitatis societatis, nec aliquod jus acquiratur in detrimentum alicujus civitatis societatis propter concessiones praedictas.

28. Pacta inter civitates quondam facta nihilominus firma et rata permaneant.

29. Nec aliquid intelligatur acquisitum Mediolanensibus in episcopatu Laudensi propter praedictas concessiones, salvo jure Mediolanensibus aquae Lambri, si quod habent, et in pedagio.

30. Omnes de societate, qui fidelitatem nobis jurabunt, in sacramento fidelitatis adjicient, quod possessiones et jura, quae nos in Lombardia habemus et possidemus extra societatem, juvabunt nos bona fide manutenere, si opus fuerit et cum super hoc per nos vel per certum nuntium nostrum requisiti fuerint, et, si amiserimus, recuperare: ita videlicet, quod finitimae civitates obnoxiae sint principaliter ad hoc faciendum et, si opus fuerit, aliae teneantur ad competens auxilium praestandum.

31. Civitates de societate, quae sunt extra Lombardiam, in suo confinio similiter teneantur facere.

32. Si qua vero civitatum ea, quae in conventione pacis ex parte nostra statuta sunt, non observaverit, ceterae civitates eam ad id observandum bona fide compellent, pace nihilominus in suo robore permanente.

33. Nobis intrantibus in Lombardiam fodrum consuetum et regale, qui debent et solent et quod solent et debent, praestabunt et vias et pontes bona fide et sine fraude et sufficienter reficient in eundo et redeundo. Mercatum sufficiens nobis et nostris euntibus et redeuntibus bona fide et sine fraude praestabunt.

34. In omni decimo anno fidelitates renovabunt in his, qui eas nobis non fecerint, cum nos petiemus vel per nos vel per nuntium nostrum.

35. Si qui ex parte nostra de suis justis possessionibus expulsi

sunt, restituantur sine fructibus et damno, nisi in causa principali seu proprietatis jure possit se tueri possessor, salvis privoribus concessionibus; et omnes offensae eis remittantur. Eodem jure servando in his, qui sunt ex parte nostra, circa restitutionem, nisi civitas teneatur juramento, ut non restituat; quo casu arbitrium boni viri volumus pro restitutione succedere.

36. Et si qua controversia de feudo orta fuerit inter nos et alium, qui sit de societate, per pares illius civitatis vel episcopatus, in quo discordia agitur, secundum consuetudinem illius civitatis in eodem episcopatu terminetur, nisi nos in Lombardia fuerimus; tunc enim in audientia nostra, si nobis placuerit, causa agitabitur.

37. Item volentibus venire contra pacta, non per violentiam facta et juramento firmata, inter civitatem et civitatem societatis vel civitatem et alias personas societatis, nos audientiam denegabimus.

38. Item nos restituimus stratam Veronensibus et nominatim recipimus Ezelinum in plenitudinem gratiae nostrae et omnem offensam ei remittimus.

Hanc igitur pacem secundum formam praescriptam et sicut per mediatores pacis, videlicet Willielmum Astensem episcopum et Heinricum marchionem Saonensem et patrem Theodoricum de Silva Benedicta et Rodulfum camerarium nostrum, una cum eis bona fide intelleximus, et secundum tenorem, quo eandem pacem et concordiam intimari et jurari fecimus, et secundum quod Lombardi eam bona fide intellexerunt, in perpetuum ratam haberi et conservari statuimus. Et ut firma permaneat et inconcussa, praesentam paginam nostri impressione sigilli fecimus communiri.

Nomina vero civitatum, quibus gratiam nostram reddidimus et praescriptam fecimus concessionem seu permissionem, haec sunt: Vercellae, Novaria, Mediolanum, Lauda, Pergamum, Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Padua, Tarvisium, Bononia, Faventia, Mutina, Regium, Parma, Placentia. Istis autem civitatibus et locis pacem firmam servare volumus et gratiam nostram reddimus.

Praescriptam autem concessionem, seu permissionem eis non facimus, videlicet Imolae, Castro Sancti Cassiani, Bobio, plebi de Grabadona, Feltrae, Bellunae, Cenetae, Ferrariae; autem gratiam nostram reddimus et praescriptam concessionem eis facimus seu permissionem, si infra duos menses post reditum Lombardorum a curia nostra de pace praescripta cum eis concordes fuerint.

Hanc itaque pacem et concordiam, sicut supra scriptum est, tam nos quam filius noster Heinricus Romanorum rex per camerarium nostrum Rodulfum in animam nostram jurari fecimus.

Hi sunt principes et nobiles curiae, qui praescriptam pacem per se firmam tenere juraverunt: Hermannus Monasteriensis episcopus, Heinricus Curiensis electus, Thietelmus Augiensis abbas, Godefridus imperialis aulae cancellarius, Otto dux Bawariae, Fridericus dux Sueviae filius noster, Bertoldus dux de Zaringen, Bertoldus marchio Ystriae, Hermannus marchio Veronae, comes Heinricus de Dietse, comes Theopaldus de Leschemunde, comes Ludovicus frater cancellarii de Helfenstein, Rodulphus camerarius, Wernerius de Bonlandia, Cuono de Muncenberc, Conradus pincerna.

Hi sunt nuntii, qui ex parte Lombardorum pacem praescriptam et concordiam receperunt et in praesentia nostro juramento confirmaverunt:

De Mediolano: Guido de Landriano, Pinamundus de Vicomercato, Adobatus Butrafus, Willelmus Burrus, Wertius de Buxolo, Ardericus de Bonate, Rogerius Marzelinus, Lotherius medicus.

De Brixia: Obrandus de Martenengo, Gezo de Turbiaco, Desiderius judex, Rodulfus de Concissio, Bochasius de Minerbio, Albericus de Capriano.

De Placentia: Gerardus de Arditione, Jacobus Strictus, Hermannus de Cario, Caupo judex.

De Pergamo: Albertus de Mapello, Alto Ficianus, Johannes de Piterengo, Lanfrancus de Monacho, Albertus Attonis, Albertus Albertanus.

De Verona: Cozo judex, Ubertinus de Carcere, Valerianus de Castello, Martinus de Castello, Thebaldinus de Raymundo, Thebaldinus de Nasinguerra.

De Vicentia: Pileus judex, Ubertinus de Fonteviva, Kardenavarius, Marcus de Pauliano.

De Padua: Fanfus, Ezelinus judex, Englescus de Funtegliva.

De Tarvisio: Florius judex, Gombertinus de Anardone.

De Mantua: Alexandrinus, Jacobus de Amica, Agnellus judex, Hinricus de Angelo.

De Faventia: Bernardus judex, Ugolinus de Azo.

De Bononia: Antoninus potestas, Rolandus Guarini, Matthaeus Rodulfi.

De Mutina: Arlotus judex, Raynerius de Buccabadata.

De Regio: Albertus cambiator, Rolandus de Caritate.

De Parma: Jacobus Petri Bavae, Maladobatus judex, Vetulus judex, Conradus Bulzoni.

De Laude: Vicentius de Fussiraga, Anselmus de Summaripa, Manifredus de soltarico.

De Novario: Opizo de Briona, Thedisius Caballatius, Wido de Boniprando.

De Vercellis: Meardus et Vercellinus.

Hae sunt civitates et loca, quae pacem praescriptam sub juramento Lombardorum nobiscum receperunt et eadem pro se juraverunt: Papia, Cremona, Cuma, Terdona, Asta, Cesarea, Janua, Alba et aliae civitates et loca et personae, que sunt et fuerunt ex parte nostra.

Haec sunt nomina consulum et nuntiorum, qui investituram et consulatus a nobis nomina civitatum receperunt: de Mediolano Adobatus, de Placentia Gerardus Arditionis, de Laude Vincentius, de Verona Cozius, de Vicentia Pileus, de Padua Fanfus, de Tarvisio Florius, de Mantua Alexandrinus, de Faventia Bernardus, de Bononia Antoninus, de Mutina Arlotus, de Regio Rolandus, de Parma Jacobus Petri Bave, de Novaria Opizo, de Vercellis Meardus, de Pergamo Atto Ficianus.

Signum domini Friderici (L. M.) Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Godefridus imperialis aulae cancellarius vice Christiani Maguntinae sedis archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Acta sunt haec anno dominicae incarnationis 1183, indictione prima, regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus 32, imperii vero 29.

Data apud Constantiam in solemni curia 7. Kalendas Julii.

APPENDIX II.

GLOSSARIES OF MEDIÆVAL AND GEOGRAPHICAL TERMS

PREPARED BY WILLARD K. CLEMENT, PH.D.

1. GLOSSARY OF MEDIÆVAL TERMS.

Abbas	Abbot.
Advocatia regni	Office of royal advocate.
Allodium	Allodium or freehold.
Antistes	Bishop.
Angaria	Transportation on direct roads.
Archiepiscopus	Archbishop.
Archiepresby(i)ter	Archpresbyter.
Arimanie	Arimaniæ, a form of tax levied upon lands once held by free Lombards.
Aulici	Courtiers.
Bajulus	Day laborer.
Bannum	Bann.
Beneficiatus	Holder of *beneficium*.
Beneficium	*Beneficum*, feudal holding.
Burcravius	Burgrave.
Calendra.	Ship.
Camerarius	Chamberlain.
Canonice	According to canon, or standard: *i.e.*, legitimately, regularly.
Capillanus	Chaplain.
Capitanei	High nobility of Italy.
Clerus	Clergy.
Comes	Count.
Concambium	Exchange.

Conciliarius	Counsellor.
Curtes	Estate with manor-house and farms.
Decanus	Dean.
Diaconus	Deacon.
Districtio	Threat, penalty.
Ducatus	Duchy.
Dux	Duke.
Episcopus	Bishop.
Evangeliazare	Evangelize.
Exarchatus	Exarchate.
Feria	Day of the week.
Feudum	Fief.
Fodrum	Levy of food for imperial army.
Grafio	Count.
Guerra	War.
Indictio	A term of fifteen years used in fixing dates.
Inmantatus	Clothed in sacred robes of office.
Intronizare	Install.
Investitare	Invest.
Investitura	Investiture.
Laicus	Lay.
Lantgravius	Landgrave.
Libellariae	Estates given *libellario nomine.*
Ligius	Obedient, liege.
Marchio	Marquis.
Mercatus	Market.
Metropolitanus	Metropolitan.
Ministerialis	Serfs assigned to serve their feudal lord in household offices; such as chamberlains, stewards, etc.
Missa	Mass.
Missus	Messenger.
Moneta	Mint.
Nicromanticus	Magical; magician.
Notarius	Clerk.
Oeconomus	Steward.
Papa	Term of address to clergy; and later exclusively the Pope.

Parangaria	Imperial right to demand transport (over cross roads).
Parrochiani	Parochial clergy or inhabitants of a parish.
Phytonicus	Inspired, prophetic.
Pincerna	Cupbearer.
Pontifex	Pope, sometimes bishop.
Protoscrinarius	Chief Secretary.
Quadragesima	Lent.
Regalia	Royal prerogatives or perquisites.
Sanguisenge	Leech.
Simonia	Simony.
Simoniacus	Simoniacal.
Squifatus	Gold coin.
Suffraganei	Suffragan bishops.
Tallia	Talliage.
Taxatus	Liable to taxation.
Teloneum	Customs.
Titulus	Bearing title of.
Treuga	Truce.
Vicarius	Vicar.
Werra	War.
Zizania	Tares.

2. GLOSSARY OF IMPORTANT GEOGRAPHICAL TERMS.

Abbatis villa	Abbeville.
Acerrae	Acerra.
Acheruntiensis	of Acerenza.
Addua	Adda.
Adria	Atri.
Alba	Avezanno.
Albanensis	of Albano.
Albensis	of Albe.
Alberstatensis	of Halberstadt.
Albigensis	of Albenga.
Alifanensis	of Alifi.
Allemania	Germany.

Amalfia	Amalfi.
Ameria	Amelia.
Amiternum	Aquila.
Anagnia	Anagni.
Ancona	Ancona.
Anglia	England.
Antiochenus	of Antioch.
Apruntinus	of Abruzzo.
Apulia	Apulia.
Aquiligensis	of Aquileia.
Aquinum	Aquino.
Aquisgranum	Aix-la-Chapelle.
Aquitania	Gascony.
Arar	Saône.
Arbinum	Arbino.
Arelatensis	of Arles.
Argentinensis	of Strassburg.
Ariminum	Rimini.
Arquata	Arqua.
Asta	Asti.
Augiensis	of Reichenau.
Augustensis	of Augsburg.
Ausimum	Auximum.
Austria	Austria.
Avelbergensis	of Havelberg.
Aversa	Aversa.
Baioaria	Bavaria.
Balnense territorium	territory of Baden-Baden (?).
Balneum Regis	Bagnarea.
Barensis	of Bari.
Basiliensis	of Bâsle.
Bavenbergensis	of Bamberg.
Bawaria	Bavaria.
Bellunum	Belluno.
Beneventanum	Benevento.
Bercetum	Berceto.
Bisuncium	Besançon.
Bizuntinus	of Besançon.
Blanderatensis	of Biandrate
Bleda	Bieda.

Bobium	Bobbio.
Bondenum	Bondeno.
Bononia	Bologna.
Bragensis	of Prague.
Brandeneburgensis	of Brandenburg.
Bremensis	of Bremen.
Brittorium	Bertonoro.
Brixiensis	of Brescia.
Brixinum	Brixen.
Brundisium	Brindisi.
Calabria	Calabria.
Calcedonensis	of Calcedon.
Callis	Cagli.
Calor	Calore.
Cameracensis	of Cambrai.
Campania	Campania.
Canusium	Canossa.
Capua	Capua.
Carisiacus	Crecy.
Castellum Sancti Marini	San Marino.
Cathaniensis	of Catania.
Cenetum	Cerreto.
Centumcellae	Civita Vecchia.
Ceperanum	Ceperano.
Cephaledensis	of Cefalu.
Ceres	Cervetri.
Cesina	Cesena.
Cisterciencis	of Citeaux.
Claravallis	Clairvaux.
Cluniacensis	of Clugny.
Clusae	Cluse.
Comiaclum	Comacchio.
Constantia	Constance.
Constantinopolis	Constantinople.
Corsica	Corsica.
Cremona	Cremona.
Cumanus	of Como.
Curiensis	of Chur.
Dalmatia	Dalmatia.
Damiata	Damiette.

Egra	Eger.
Egubium	Gubbio.
Eisstetensis	of Eichstädt.
Emilia	Reggio.
Ephesinus	of Ephesus.
Esis	Iesi.
Evera	Eberach.
Fanum	Fano.
Faventia	Faenza.
Feltra	Feltre.
Ferdensis	of Verden.
Ferentinum	of Ferentina.
Ferraria	Ferrara.
Firmana	Fermo.
Forum livi	Forli.
Forum populi	Forlimpopoli.
Forum simpronii	Fossombrone.
Francia	Frankland.
Fricentinensis	of Frigento.
Fridislerum	Fritzlar.
Frisingensis	of Friesing.
Fuldensis	of Fulda.
Fundi	Fondi.
Furcona	Forcone.
Gaieta	Gaeta.
Gallia	France.
Grabadona	Gravedona.
Hainnoum	Hainault.
Halberstadtiensis	of Halberstadt.
Hamaburgiensis	of Hamburg.
Herbipolitensis	of Würzburg.
Hesim	Hasenthal (?).
Hiltinisheimensis	of Hildesheim.
Hispania	Spain.
Hostiensis	of Ostia.
Hungaria	Hungary.
Hydrontiensis	of Otranto.
Immola	Imola.
Ingolismensis	of Ingelheim.
Istria	Istria.

Italia	Italy.
Janua	Genoa.
Langobardia	Lombardy.
Laona	Laon (?).
Lauda	Lodi Vecchio.
Laus	Laino.
Leodiensis	of Louvain.
Losannensis	of Lausanne.
Lucanensis	of Lucca.
Luciolis	Luciolo.
Lugdunum	Lyons.
Luna	Luni.
Lundenensis	of Lund.
Luneburgensis	of Luneburg.
Magdalona	Maddaloni.
Magdeburgensis	of Magdeburg.
Mantua	Mantova.
Marca	Martia.
Mazarensis	of Mazzara.
Mediolanum	Milan.
Melfiensis	of Amalfi.
Messana	Messena.
Metensis	of Metz.
Militensis	of Mileto.
Minerboum	Minervino.
Moesia	Moesia.
Moguntia	Mainz.
Monasteriensis	of Münster.
Monopolitensis	of Monopoli.
Mons Bardonis	Apennines.
Mons Flasconis	Montefiascone.
Mons Regalis	Mondovi.
Mons Silicis	Montelise.
Mosa	Meuse.
Montefeletri	Montefeltro.
Monte Lucato	Monte di Lucana.
Mutina	Modena.
Narnia	Narni.
Nemetum	Clermont-Ferrand.
Nepe	Nepi.

Nicenus	of Nicaea.
Noricus	Styrian or Bavarian.
Novaria	Novara.
Nuembergensis	of Nuremberg.
Nursia	Norcia.
Ollium	Olla.
Orbinum	Urbino.
Orchis	Orchia.
Orta	Orte.
Osembergensis	of Osnabrück.
Ostiensis	of Ostia.
Paderbrunnensis	of Paderborn.
Padus	Po.
Palatinus	of the Palatine.
Papia	Pavia.
Parma	Parma.
Pataviensis	of Passau.
Pennensis	of Penne.
Pensaurum	Pesaro.
Pentapolis	Pentapolis.
Pergamensis	of Bergamo.
Perusia	Perugia.
Pisanus	of Pisa.
Placentia	Piacenza.
Polimantium	Bomazzo (?).
Populonium	Piombino.
Portum	Porto.
Potentinensis	of Potenza.
Praenestinus	of Palaestrina.
Radicofanum	Radicofani.
Rapullensis	of Barile.
Ratisponensis	of Regensburg.
Ravenna	Ravenna.
Reate	Rieti.
Regium	Reggio.
Rhenus	Rhine.
Rhodanus	Rhone.
Roma	Rome.
Romagnole	Romagna.
Rothomagensis	of Rouen.

Rubensis	of Ruvo.
Sabiensis	of Savio.
Sabinense territorium	Spoleto and Rieti.
Sabinensis	of Sabina.
Salem	Salmensweyler.
Salernum	Salerno.
Salzburgensis	of Salzburg.
Sancta Agatha	Santa Agata.
Sanctus Germanus	San Germano.
Sanctus Marcus in Lamis	San Marco in Lamis.
Sarnensis	of Sarno.
Scaldus	Scheldt.
Senogallia	Sinigaglia.
Serra	Serra.
Sicilia	Sicily.
Spirensis	of Speyer.
Spoletinus	of Spoleto.
Squillacensis	of Squillace.
Stabulensis	of Stavelot.
Strasburgensis	of Strassburg.
Styria	Styria.
Suana	Sovana.
Suessa	Roccamonfino.
Suevia	Swabia.
Sussubium	Sussibio.
Sutria	Sutri.
Tarvisium	Treviso.
Teanum	Teano.
Teramnum	Teramo.
Terdona	Tortona.
Theatinus	of Chieti.
Thuringia	Thuringia.
Tolosanus	of Toulouse.
Trajectensis	of Utrecht.
Treverensis	of Trier.
Tridentinus	of Trient.
Tuda	Todi.
Tullensis	of Toul.
Turbiacum	Torbia.
Tuscana	Tuscanella.

Tuscia	Tuscany.
Urbs vetus	Orvieto.
Utriculum	Otricoli.
Valvensis	of Pescina.
Vangium	Worms.
Velletrensis	of Veletrae.
Venetia	Venice.
Vercellae	Vercelli.
Vercetum	See **Bercetum.**
Verdonensis	of Verdun.
Verona	Verona.
Verulae	Verolae.
Vicentia	Vicenza.
Viennensis	of Vienne.
Vigiliarensis	of Bisceglia.
Vinea	La Vigne de la Reine.
Viridunum	Verdun.
Viterbum	Viterbo.
Vobium	See **Bobium.**
Wirciburgensis	of Würzburg.
Wormatia	Worms.
Wuldensis	of Fulda.
Ytalia	See **Italia.**
Zeperanum	See **Ceperanum.**
Zixensis	of Zeitz.

INDEX.

Numbers in heavy-faced type refer to documents, etc.

Alexander III. elected, 90; election annulled by Council of Pavia, 92; struggle with Frederick I., 95, 96; Peace of Venice, **99**.
Analek II. put under ban by Lothar III., **68**.
Arnolf [Arnaldus], privilege granted him, **20**.

Basileus, Charlemagne called such, 13.
Beneficium, Empire said to be, 83; word explained by Hadrian IV., **84**.
Bishops appointed by king, 20, 22, 62. See also Investiture.

Calixtus II., Concordat of Worms, **66**.
Canossa, **46**.
Charlemagne, Donation of, **10**, 24, 26; coronation of, **12**, 107; recognized by Eastern Emperor, **13**; appoints Louis his successor, **14**.
Concordat of Worms, **66**.
Confero used with reference to Empire, 81, 83; explained, **84**.
Conrad I. leaves kingdom to Henry I., 19.
Constance, Treaty of, 77; Peace of, **156**.
Constitutio Romana, **14**.
Conventus Oppenheimensis, **45**.
Council of Seligenstadt, **30**; of Lateran, **65**; of Pavia, **89**; of Dole, **95**; of Lyons, **145**. Delegates to a, captured, 146, 147, 151. See also Synod.

Deposition of Emperors, right of, claimed by Popes, 37 (cf. **105**); attempted by Popes, **44**, **51**, **145**.
Dictatus Hildebrandini, **37**.
Dole, Council of, **95**.
Donation of Pippin, **9**, 11, 24, 26; of Charlemagne, **10**, 24, 26; of Otho I., **23**.

Eger, Golden Bull of, **115**.
Election of Popes, see Popes.
Emperors appointed, etc. Charlemagne, **12**; Louis, **14**; Henry I., **19**; Otho I., 22; Henry III., 31; Frederick I., **73**; Frederick II., 148; excommunicated, **44**, **51**, **132**, **141**; deposed, **44**, **51**, **145**; right of Popes in election of, 107 sq.; not hereditary, 112; source of power of, 14, 43, 63, 73, 83 (statement of Frederick I.), **106** (extreme Papal view); regalia, 62, 81; invest bishops, 20, 22, 62. See also Henry I., III., etc.
Excommunication of Henry IV., **44**, **51**; Frederick II., **132**, **141**; of other rulers, 130.

Fiefs, law of, **87**. See Investiture and Sicily.
Frederick I., election of, **73**; purpose of, **75**; letter of Hadrian IV. to, **79**; at Roncalia, **86**; proclamations of, **32**, **96**; views as to Popes, 95; recognizes Victor IV., 92; makes peace with Alexander III., **99**; and with Lombards, **156**.